
R. K.
5


WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

# THERMARUM
# PATAVINARUM
# EXAMEN.

# THERMARUM PATAVINARUM EXAMEN;

*CUI ACCESSIT*

# DISSERTATIO

*DE*

# FONTE LÆLIO, *ACIDO,* RECOBARII.

SCRIPTORE
*JOANNE GRATIANO BERGOMENSI, D.*





PATAVII,
M. DCCI.

Ex Typographia Seminarii.
Apud Joannem Manfrè
*SUPERIORUM PERMISSU.*

*ILLUSTRISS., ATQUE EXCELLENTISS. D. D.*

# HIERONYMO VENERIO

## Equiti, & D. Marci Procuratori

Joannes Gratianus F.

*ETiam me tacente, Mæcenas optime, facilè omnes vident, cur parvum hunc vigiliarum mearum fructum ve-*

*nire in hominum manus ornatum commendatione tui nominis voluerim. Cùm enim, ut omni virtutum genere ornatissimus es, ità hoc supra cæteros eximium habeas, quòd & unicè eruditos homines amas, & illorum omnium conatus excipis humanissimè, qui sin minùs tibi suam approbare eruditionem valent, at certè voluntatem aliquam declarare percupiunt: in eam demùm spem sum adductus, ut crederem, libellum quoque hunc, nullo licèt aut sermonis lepore, aut exquisitioris doctrinæ elegantia refertum, à te æquo animo excipi posse. In quo tamen quoniam confidentiùs me gessisse scio, quàm decebat; primùm quia tantulam rem, tàmque ineleganter pertractatam his præsertim temporibus in aspectum, lucemque proferre; deindè verò tibi tanto viro, tantisque assiduè occupationibus impedito literis meis obstrepere veritus non sum:*

per

*per illam & aliis, & mihi inprimis perspectam humanitatem tuam à te enixè contendo, ut & mihi ignoscas, & non tàm quid aut amplitudini tuæ, aut scriptionis generi conveniat, quàm, quid à me præstari possit, expendas. Si enim quid hac in re à me peccatum est, peccatum est partim incredibili quadam abundantia observantiæ erga te meæ, partim fiducia mirifici tui erga omnes honestas artes amoris; propter quem nihil tibi ingratum, nihil injucundum esse solet, quod eò consilio institutum fuerit, ut ad augendam quoquo modo eruditionem pertineat. Igitur quoniam vel hic animus apud te tanti est, ut aliàs, mihi quamvis nihil prorsus tale promerito, aliquid tamen tribuendum esse putaveris; iterum à te etiam atque etiam peto, ut opusculum hoc, licèt levius, quàm ut tu, quem nihil nisi eximium capit, ullam ex eo voluptatem percipere queas, tibi nihilominus*

*acceptum esse velis. Id ubi præstare constituas, nullus dubito, quin operi huic minimum ex me existimationis habituro, plurimum ex te accessurum sit dignitatis, & gratiæ. Primùm enim quem non moveat præstantissimi tui auctoritas judicii, cùm nemo ignoret, te non modo ex Augustissimi Senatus Veneti decreto maximam optimarum disciplinarum curam gerere, verùm etiam adeò literis oblectari, atque omnium minimè communium, & contritarum rerum meditatione animum pascere, ut licèt in altissimo dignitatis gradu ob præclara tua èrga Rempub. merita collocatus, nunquam intermissa gravissimorum munerum ad salutem, & tranquillitatem publicam pertinentium procuratione districtus tenearis; tamen nullus tibi excidat dies, cujus partem aliquam in hujusmodi studia non insumas? Deindè verò, quò cum tuo nomine labor hic non perveniet? Sive enim clari-*

*tatem*

*tatem generis requirimus, sive te ipsum, nulla ratione generis habita, intuemur; ecquis est hodiè tàm ab hominum consortio remotus in terris locus, quò non Veneriæ Gentis antiquissimæ, virorumque pace, ac bello clarissimorum fœcundissimæ, quò non Tui præsertim nominis rumor pervaserit? Quam quidem nobilitatis, virtutisque famam cùm admirandis, atque immortalitate dignis edendis operibus domi jam comprobasses, auxissesque, illud quoque accessit, ut plurimis, honorificentissimisque Legationibus per Germaniam, Galliam, Angliam, atq; omnes ferè terrarum oras eandem magis disseminares. Hæc, amplissime Procurator, potissimùm effecerunt, ut omnes homines non modò te colere, atque suspicere, de te, veluti de perfecto quodam, atque omnibus numeris absoluto virtutis exemplo loqui soleant, sed etiam ea omnia, quæ ad te aliqua ex parte pertinent, statim*

cogno-

*cognoſcere diſcupiant. Quamobrem ne dedigneris, obſecro, ita librum hunc, qui nunc tibi à me inſcribitur, atque mox per te in omnium manus evagabitur, excipere, ut, te approbante, gratior multò, & commendatior fiat. Cujus quidem muneris ſi ego ullam unquam partem, dum vivam, de tuis præſtantiſsimis virtutibus aut ſcribendo, aut loquendo, promereri potero, nihil mihi in vita aut optabilius, aut honorificentius contingere potuiſſe arbitrabor. Vale.*

Dat. Patav. VIII. Kal. Februarii Anno 1701.

MO-



# MONITA
# AD LECTOREM.

MIrum fortasſè tibi videri poterit, Lector erudite, quòd & hunc laborem poſt alios propè innumeros ſuſceperim, & de re, quæ difficiles penitùs, atque arduos habet explicatus, tanquàm aliquid certum allaturus, ſcribere ſim aggreſſus. Verùm mihi in primis monendus es, me in hoc Thermarum Patavinarum Examine inſtituendo, utcunque rem actam agere iterùm videar, vulgarem tamen illam, atque iis omnibus acceptam methodum minimè ſervaviſſe, qui hactenùs in earundem minera inquirenda elaborarunt. Etenim cùm partim ſummas diſſentientium inter ſe ſcriptorum contentiones ſuper horum Fontium natura, & viribus animadverterem, neque enim res aliter iis evenire poterat, qui per ſimplices notas, atque effectuum varietatem dumtaxat, intimam ipſorum naturam conjectura aſſequi conabantur; partim illuſtrium aliorum virorum exemplis immorarer, qui nuper hoc in obeundo munere, atque in ſuæ quiſque regionis fontibus inaudito pridem labore inveſtigandis plurimùm enituere: facturum me operæ pretium ſum arbitra-

tratus, si nuperrimorum scriptorum vestigiis insistens, harum Thermarum causis intimiùs, atque accuratiùs perquirendis pro virili parte consulerem. Quod ut laudabilem susceptì operis causam indicat, ita non desunt, quibus scriptionem hanc ab eorum tuear reprehensionibus, qui, quòd de re magnis undique difficultatibus impedita agere veritus non sim, nulla penitùs excusatione dignum fortasse existimabunt. Quemadmodùm enim si me, in statuenda harum aquarum indole, arbitrum, atque disceptatorem idoneum profiterer, apud cordatos, & intelligentes homines impudentiæ notam effugere non possem; ita nullum dubium esse crediderim, quin & in tanta judiciorum multitudine mihi quoquè liceat, tanquam uni è multis, quid sentiam dicere, & multi reperiri queant, qui vel ex eo libelli hujus institutum probent, quoniam, quod mihi verissimillimum visum est, ita proposuerim, ut & suum cuique, & mihi meum, si quid intereà probabilius occurrat, judicium liberum, ac solutum reliquerim. Quo posito, causæ nihil est, cur tibi tractationis hujus rationem data opera aperiam. Sive enim ejusdem ordinem inquiras, sive rem ipsam putes; vel in ipso limine opusculi ita, quæcunque in eodem continentur, patefiunt, ut prævia explicatione egere nullatenus videantur. Cæterùm cùm ad perennium, medicatarumque aquarum causas, partim ut majorem claritatem rei conciliarem, partim ne laborem hunc defugisse crederer, afferendas initio prævorterim; non is sum, qui, cùm nihil in hac re promeruerim, postulem id gratiæ apponi mihi. Nimirum conquirendæ mihi aliorum conjecturæ fuere, non ut, iis omnibus refutatis, novum aliquid, atque inauditum afferrem; quod ut aliqui ingenio, & doctrina præter cæteros præstantes laudabiliter faciunt, ita permulti potiùs ut aliquam sibi industriæ famam conficiant, quàm quia augendæ eruditionis causam aliquam se afferre posse confidant, præstare solent. Sed ut, vero similiorem deligendo, eam explicandæ Thermarum, acidarumque aquarum originis rationem inirem, quæ mox instituendo examini summè conferret. Quod autem ad examen ipsum spectat, illorum exemplum sequi visum est, qui in medicatis Galliæ præsertim, atque

Ger-

Germaniæ fontibus multiplici examine investigandis præclaram pridem utilitati publicæ operam navaverunt. Quorum auctoritas ut mihi satis magnam scriptorum deffensionem suggerit; ita spes est fore permultos, qui nisi mihi, cui ad id planè perficiendum vires non suppetunt, tantorum tamen virorum judicio tribuendum esse aliquid putent. Nihilominùs inficiari non ausim variis in locis alia à me ad rem præsentem magis aptata, nonnulla immutata leviter, ac demùm non pauca, adhibitis licèt experimentis, omninò prætermissa. Idque ea potissimum de caussa, quoniam satius esse existimavimus, ut res omnes è multis, & diversis elementis conflatas, atque concretas ex eo nominare solemus, quod in quaque dominatur; ita præcipua dumtaxat medicàtarum harum aquarum contenta proferre, iisque doctrinam omnem de earundem viribus superstruere. Neque enim dubito, quin si illud propositum fuisset, ut ad ultimas mixtionum rationes, per omnia metallicarum rerum genera descenderemus, non modò laudabiliter res casura non esset, sed, velut qui proximis litori vadis inducti mare pedibus intrant, quidquid progrederemur, in vastiorem altitudinem, ac velut profundum inveheremur. Quod reliquum est, haud ignoro, quàm varius de hac re illorum sermo futurus sit, qui, ob traditum ab veteribus morem, incredibilem quandam minerarum verietatem in his Fontibus esse contendunt. Horum ego obtrectationes si declinare de industria instituissem, servandus mihi illorum mos erat, quos in Paradoxis irridet Helmontius. Nempè, ut esset, in quo singulis placerem, omnes sales, omnesque alias rerum metallicarum species his Fontibus assignare debueram; atque, ut vires eorundem ad nutum explicarentur, huic modò, modò illi rei metallicæ, tanquam duci, ut ingeniosissimi Scriptoris verbis utar, reliquorum omnium fidere exercitum. Sed ut unica ratione cuncta complectar, cur iis blandiar, nullatenus video; cùm res aliud monstret. Itaque, quia hujus ordinis homines animum non modò flectere à vero, sed ne solicitum quidem efficere haud queunt; ideò ad propositum accedam, à te etiam atque etiam, Lector opti-

pti-

ptime, contendendo, ut examen hoc æquo animo excipias, & in eo ſcitè conſcribendo, utcunque mihi defuerit facultas, voluntatem certè defuiſſe ne arbitreris. Vale.



IN-

# INDEX CAPITUM.

THER-

# THERMARUM PATAVINARUM

## *Deſcriptio, & Situs.*

### CAPUT PRIMUM.

SEptem medicatos Fontes Euganeis Montibus largita eſt natura, cùm ne quidquam felicitati urbis amęniſſimæ deeſſet, tùm ut cum ampliſſimis, & ditiſſimis quibuſque regionibus ſoli indulgentia nunquam ceſſura certaret. Antiquior cæteris Fons Aponi: cujus nominis ratio ab Argivis, Hercule, uti ferunt, duce, in expeditionem adverſus Gerionem profectis petitur; qui cùm in ejuſdem aquis morborum ſine ullo dolore medelam inveniſſent, ΑΠΟΝΟΝ à doloris, & laboris privatione nuncuparunt. Indè ruris quoquè nomen, ac præclara ſalubris loci monumenta fluxere. Nam cœleſti, neſcio quo, prodigio motus Hercules, ut Gerionis, quem abductis armentis mactaverat, manes placaret, monumentum illi, & oraculi adytum, ubi augur degeret, & ſortes ducerentur, inſtituiſſe dicitur. Ac propterea Cornelium magni nominis augurem inde Pharſalicam cædem aliquandò proſpectaſſe, ſeptimo Pharſaliæ Libro teſtatur Lucanus, inquiens:

*Aponēſis aquę nomen undè.*

A *Euga-*

*Euganeo (si vera fides memorantibus) augur*
*Colle sedens, Aponus terris ubi fumifer exit,*
*Atque Antenorei dispergitur unda Timavi,*
*Venit summa dies, geritur res maxima, dixit,*
*Impia concurrunt Pompei, & Cæsaris arma.*

Cęterùm aucta olim fontis nobilitas sparsis, amęnisque ædificiis, quorum pleraque Theodoricus Rex extrui, vel instaurari curavit. Extant quoque prolata ab eodem fontis præconia: „esse ibi sine tormento curas, sine horrore remedia, sanitatem inemptam. Aucta usque in superstitionem reverentia, quòd res dubias, nescio quo argumento, à divino, uti vocabat, fonte aperiri crediderit. At, prętér cętera, quæ memoratu digna ibidem contigerunt, Petro insigni Philosopho, & Medico locus magis inclaruit: adeò ut, quem natura saluberrimis aquis scatere fontem voluerat, magnorum virorum monumentis celebriorem reddere curasse, videatur.

*Aponi descriptio, & situs.* Distat rus Aponum ab Urbe quinque fermè milliarium intervallo; cujus in excessu, qua montis, uti vocant, S. Danielis prospectus est, collis quidam cernitur, qui ubi in modicum admodum tumorem excrevit, opportuna planitie, omni plagę æquè obversa, ac veluti in conceptaculorum morem aptata exęquatur. Hanc uberrimus, calidissimusque replet humor; plures inde rivuli, quà mons faciliora latera acclinat, ad inferiora decurrunt; qui, ut prompta usui aqua perstet, parvis receptibus, ve-

veluti alveis colliguntur. Nullæ circum valles, nulla inopportuna ſitus aſperitas; ſed ditiſſimus ager, felicia ob ſalubres herbas loca, atque innoxius aer, niſi eundem, qua propior eſt rivus, ebullientium aquarum vapor inficiat. Loci ingenium contemplatus Claudianus, ſingula his carminibus elegantiſſimè complexus eſt:

*Alto colle minor, parvis erectior arvis,*
*Conſpicuo clivus molliter orbe tumet.*
*Ardentis fecundus aquæ, quacunque cavernas*
*Perforat, offenſo truditur igne latex.*
*Spirat putre ſolum, concluſaque ſubter anhelo*
*Pumice rimoſas perforat unda vias.*
*Humida flammarum regio, Vulcania terræ*
*Ubera ſulphureæ fervida regna plagæ.*
*Quis ſterilem non credat humum? fumantia vernant*
*Paſcua. Luxuriat gramine cocta ſilex.*
*Et cùm ſic rigido cautes fervore liqueſcant,*
*Contemptis, audax, ignibus, herba viret.*

Miranda aquæ caliditas, quæ in conceptaculo ſummo collis vertici impoſito continetur: cui cùm virentes herbæ, ut Claud. memorat, innaſcantur, adeò rem demiratus eſt Plinius, ut inter miracula aquarum, fontium, & fluminum naturalis Hiſtoriæ libro ſecundo, cap. CIII. ejuſdem meminerit. Nullus aquæ propterea hoc in loco balneantibus uſus eſt. At, quæ vario itinere in ſubiecta loca de induſtria derivatur, vi ardoris infracta, ea menſura ferveſcit, quæ ſatis

*Aquæ calidæ puritas.* aptè corpora ægrotantium admittat. In quocunque nihilominùs caliditatis gradu nusquam ferè humor impurus obversatur; proindè instituto inhærens Claudianus, subdit:

*Densus nube sua, tactuque immitis, & haustu,*
*Sed vitreis idem lucidus usque vadis.*
*Consuluit natura sibi, ne mersa lateret,*
*Admisitque oculos, quò vetat ire calor.*

*Balnei S. Petri descriptio.* Vix ultra milliare à Thermalibus Aponi aquis contra Meridiem, S. Petri, vulgò dictum, rus dissitum est. Eadem parte mediocris altitudinis collis effertur, cujus radices sursùm erumpens humor latè alluit. Hujus portio quibusdam conceptaculis continetur: atque inter hæc, quod scaturigini propius, modico alveo gaudet. Hoc paucis ab hinc annis inopinatò desidens tellus plurimum auxit; ingenti hominum multitudine vix amota, quam subtus ortum murmur eodem tempore perterruerat. Reliqua aquarum colluvies, partim quà Oriens est, partim quà Septentrio, ulteriùs per declive solum pervoluta, latissimum intra alveum utrinque subsistit. Præter calescentiæ gradum, quo supernè scaturiens humor multùm infrà collectum antecellit, satis conspicua in fundo coloris diversitas est. Namque Orientem versus ab vulgari colore non absimile cęnum videtur. E converso verò ità inficitur, ut æneum colorem repræsentet. Cæterum, seu fertilitatem soli, seu innoxium aerem inspicias, felicitati Aponi locus non invidet. Fortasse tamen, quia haud rari circum col-

les

les assurgunt, elevatus ab scaturientibus aquis vapor diutiùs in ambitu loci detinetur. Mirum est, quod collis inferiora contemplanti obversatur. Quippè latè diductus fornix, arte inter saxa paratus, subter fundamenta ejusdem excurrit. Hunc adire, ob proventum calentis aquæ, & densissimos fumi globos, haud datum. Facile nihilominùs intellectu est, tanto labore excavatam porticum antiquis loci dominis, qui sæpè luxu balneorum prolabebantur, inservisse.

A balneo S. Petri non ultra quingentos passus, quod Domus Novæ nuncupatur, distat; hoc nomine insignitum, quòd antiquis incolis fons ignotus, multò post coli cœperit. Mons ibidem Meridiem versus modicè extollitur, ubere calentium aquarum scaturigine gaudens. Subest eidem ampla admodum planities, crebris monticulis, & vallibus obsita; quam deinde crebræ fossæ, paludes, & promiscui frigidarum, calentiumque aquarum rivuli undique replent. Multum ibi aeris vitium, statioque intuta animantibus. Quippè cùm scaturiens inter telluris inæqualia humor veluti intra valles restagnet, & qui circum sunt colles difflationi plurimum obsistant, aer adeò inficitur, ut vel solo odore summoperè displiceat, noceatque. Extat haud procul ædes à præclarissimo Philosopho Joanne de Dondis extructa: indè loci nomen; prope quam non modica thermalis aquæ lacuna est, parandi salis gratia, parata. Uberem ibi salium copiam erutam fuisse vel ipse Joannes de Dondis

*Domus Novę balnei situs.*

*Locus ab Joanne de Dondis exornatus.*

teſtatur; qui veſtigiis Jacobi parentis inſiſtens, facilem conficiendi ſalis methodum nactus, Patavinorum civium commodo multùm providit. His tamen temporibus denuò locus vix tantùm non exolevit. Quidquid enim id eſt, per quod aucto balnei nomine, ingens de eodem opinio invaluerat, nunc adeò corruptum eſt, ut ab reſide circumjacentium balneorum humore, inter declivia planitiei collecto vix internoſcatur.

*Deſcriptio Balnei Montis Ægrotorum.*

Montis Grotti thermales aquæ enumeratis ſuccedunt; quas ab Aponenſibus duorum millium paſſuum intervallum diſterminat. Ortum loci nomen à cujuſdam Montis vicinia, quem cùm ob miram ſoli amęnitatem, atque aeris indulgentiam peterent ægroti, quorum ingens ad balnea eadem acceſſus erat, ibidemque confertim expatiari conſueſcerent, Ægrotorum montem incolæ appellaverunt. Inlatum deindè & balneo, & pago nomen; corruptoque, ut fit, cognomento, Montis Grotti balnea, paguſque nuncupata ſunt. Itaque haud procul ab Ægrotorum Monte in pagi confinio locus occurrit, paulò cæteris elatior, circa quem plures hinc & indè ferventes rivuli prodeuntes, demum ſubjectam planitiem crebris in locis implent. Hos inter pagi templum, nunc vetuſtate collapſum, quidam præterlabitur; qui mox in plures ramulos ſectus, varia utrinque in conceptacula derivatur. Prætereà verò Orientem verſus alius decurrit, qui ſatis amplo alveo exceptus, lacunam, uti vocant, equorum efformat. Cæterum

con-

conceptaculorum alia ſub dio, alia contecta, multiplicem ſcilicet in uſum ut venirent. Regio verò quemadmodum ubertate ſegetum ditior eſt cæteris, ità & innoxii aeris titulo enumerata loca multum antecellit.

Patavio ad ſeptem paſſuum millia digredienti aliud balneum obviam fit, quod vix ultra tria milliaria diſtat ab Apono. Mons ibi modicæ altitudinis, ad quem per arctam ſemitam patet aditus; ubi cùm D. Helenæ templum, quod & nunc extat, olim conſtructum fuiſſet, ſumpto cognomento, S. Helenæ thermas incolæ appellaverunt. Porrò humor, ampla admodum ſcaturigine fermè è vertice collis enaſcitur: qui deindè obliquo, occultoque per ſaxa meatu ad inferiora, quà Oriens eſt, deſcendens, ad ejuſdem radices multiformia conceptacula implet. Conſtructæ ibidem ædes, magnum balneantibus ſolamen. Quippè demiſſa circum planities, &, quà mons in Meridiem patet, ſtagnum eſt, gravi aerem vapore inficiens; à quo nullum niſi aut ſuperna parte collis, aut longè à prodeuntis aquæ loco, effugium. Aqua verò, quæ iis è meatibus prodit, adeò calida eſt, ut ſine ſenſu doloris tangi non poſſit. Et licèt paulum, ubi ab origine elongatur, defervescat; paſſim tamen immodica caliditas eidem ineſſe deprehenditur. *Aquæ Thermales D. Helenæ.*

Duodecimo ab Urbe milliari locus eſt, collibus undique conſitus, niſi quà Meridiem proſpectat; è quorum lateribus ſcaturiens humor *Situs Balnei S. Bartholomæi.*

balneum, quod S. Bartholomæi dictum est, constituit. Templum ibi, & Xenodochium in pauperum commodum D. Bartholomæo olim dicatum; undè balnea nomen accepere. Multa thermalem hunc locum enumeratis dissimilem reddiderunt. Præcipuè tamen, qua parte demissa veluti in vallem planities descendenti aquæ in conceptaculum patet, non, uti in quibusdam aliis, veluti lapidibus constrata est; verum cœnosa adeò, & pinguis balneantibus occurrit, ut, licèt non ultra duorum pedum altitudinem aqua supereemineat, eidem corpora credere intutum penitus sit. Neque eadem, quoque anni tempore, mensura humor incalescere dicitur. Quippè quemadmodum autumno, & multò magis æstate fervet, ità per hyemem, & proximum ver aliquatenùs in eodem calorem remitti incolæ adnotarunt. Cùm verò colligendis pluviis aquis mirum in modum planities apta sit, fit indè, ut & post pluviarum casum thermalis aquæ vires sæpè, plurimumque frangantur.

*Celeberrimum ibi lutũ.*

*Descriptio Balnei Montis Orthoni.*

His Montis Orthoni Balneum accensetur. Locus est crebris circùm collibus conclusus, quorum in medio Orthoni Mons effertur. Adstant præcipuè Orthono hinc Mons S. Danielis, quo in loco constructum antiquitùs Cereris Fanum legimus, indè Mons Rubeus, ubi quondam Euganeam Urbem conditam fuisse, plurium scriptorum monumenta testantur. Multum inde Orthono levamen. Quippè ab aeris in-

injuriis cùm ab Occidente, tùm ab Septentrione tutiſſimus redditur. Aquarum verò thermalium origo ab Orthono eſt; è quo calidiſſimus humor exiliens, contigua montibus planitie excipitur. Varia ibidem aquarum conceptacula, multiformem ad uſum, in commodum balneantium, reſervata. Magni licèt nominis hujuſmodi balnea hodie ſint, diù nihilominus inculta olim, & deſpecta, fortaſſe ob inclementis aeris ſuſpicionem, perſtiterunt. Verùm poſtquam, aucto mirum in modum ob Deiparæ Virginis templum loci cultu, detectaque vix tepentis aquæ ſcaturigine, quæ ipſius montis fundamentis adnaſcitur, tutam incolis ſtationem polliceri viſus eſt; partim ſalubris aeris experimento, partim aquarum B. Virginis excellentia celebris adeò eſſe cœpit, ut omnibus ſuprà memoratis balneis Montis Orthoni aquæ longè antecellant. Cæterùm omnes eas, quas hactenùs deſcripſimus, thermalium aquarum ſcaturigines nullo anni tempore deficere, aut minui, adeò certum eſt; ut maximè, quà tempeſtate ob aeris æſtum fontes omninò exſiccantur, loca hæc conſueto aquarum proventu gaudeant. Neque fervoris, frigoriſve vices ſatis conſpicuæ. Quippè vix in aliquibus, poſt pluviarum caſum, modicùm deferbuiſſe collectum humorem deprehendes. Porrò crebris in locis fonti aquæ ferventis frigidi humoris effluxus adnaſcitur. Hic tamen ſimplex adeò, atque ab omni mineranera-

*Et aquę B. Virginis.*

*Nunquã hæ ſcaturigines aquarum minuuntur.*

*Cæteræ harum thermarũ proprietates.*

neralis vaporis contagio liber non eſt, ut cùm cæteris puriſſimis fontibus videatur comparandus. Thermalium verò aquarum odor, & ſapor ſicuti aliquatenùs ingratus; ità, quà plerǽque earum propè ſcaturiginem in conceptacula derivantur, cœnum demittunt, quod fundo, & lateribus alveorum ſtatim adhæreſcit. Hujus portio mollis aliquandò perſtat, in uſumque medentium ducitur. Nonnullis verò in locis, arena, ſalinæque plerumque particulæ coeuntes, in lapideam ferè duritiem obrigeſcunt. Qua parte autem ab infernis meatibus in apertum humor erumpit, ebullitio plurimùm conſpicua eſt; quæ licèt ſæpè remittatur, majore rursùs cum ſonitu totidem prodire ſolet. Animalcula quædam in calentis aquæ alveis vivere, ſunt, qui tradant: quod licet oculis deprehendere haud potuerim, habendam nihilominùs accolis fidem crediderim, qui ſe multotiès id vidiſſe, teſtantur.

*Mirum aquæ Aponenſis ingeniũ.* Quod reliquum eſt, non deſunt, ut Caſſiodorus quoque habet, qui aſſerant, in aquis Aponenſibus mirandam continentiæ diſciplinam quandam eſſe: nam in undam, in qua viri reficiuntur, ſi mulier deſcendat, incendi, & calore exuri, ajunt. Hoc quemadmodum ad libitum confictum ab incolis, ità non procùl omni cauſa eſſe putaverim: ſuſpectum ſcilicet ut foret promiſcuum virorum, fœminarumque lavacrum; atque indè, tepore aquarum incitante, promptum exitum libido non inveniret.

*Sed haud procul fabulis.*

De

# De Origine Fontium.

## CAPUT II.

QUoniam initio operis harum Thermarum examen pro virili instituere pollicitus sum, illud in primis nullo pacto me defugere posse intelligo, quod accuratiores plerique aquarum medicatarum descriptores præstiterunt; ut nempè causam aliquam afferrem, undè hujusmodi aquarum proventus duci viderentur. Cujus quæstionis summa cùm eò recidat, ut de fontium nunquam deficientium origine agendum sit, Thermæ enim satis magnum hujusmodi aquarum exemplum sunt, nemo non videt rem hanc adeò à doctissimis viris quolibet tempore pertractatam fuisse, ut difficile penitùs sit, ne dicam impossibile, novas iterùm conjecturas comminisci, quibus meliùs, atque rectiùs eadem explicetur. Nihilominùs, cùm ne quid huic examini deesset, quod in aliis pronum est invenire, tùm ut eam rationem enucleandæ originis fontium inirem, quæ maximè aquarum medicatarum principiis investigandis conferre videtur, abs re non fore existimavi, eam conjecturam proponere, qua satis doctè declarari valet, quî fieri queat, ut ab aquis intra tel-

*Origo fontium ab innumeris ferè explicata.*

telluris gremium conclusis satis humoris excipere fontes nunquam arescentes facilè possint. Cùm autem huic sententiæ vel ex eo plurimum ponderis accedat, quod in aliis, quæ sæpè celebrium virorum assensum meruere, non eadem probabilitas, effectuumque constantia reperitur; libebit propterea pauca quædam aliorum placita præmittere, breviterque, quid in iis displiceat, per capita saltem recensere.

*Veterum opinio de fontium origine.* Itaque nemini incompertum est, nihil solemnius inter veteres rerum naturalium investigatores fuisse, cùm de origine aquarum nunquam deficientium ageretur, quàm aerem crebris montium cavitatibus conclusum, ambientium corporum frigiditate in guttulas concrescere; à quibus, ubi coierint, exiles primùm fonticuli, mox, incursu aliorum in alios incidentium facto, majores fontes latè ducerentur. Addidit vacui metus novam passim dilabentis aquæ materiem. Quippè externum aerem, in locum illius, qui aquæ specie decessit, vicissim succedere, iterùmque in aquas more eodem converti, atque exinde nunquam deficientium aquarum proventus gigni crediderunt. Eleganter propterea Jov. Pontanus: *Ex libro Meteororum.*

*Spiritus hic (Graji fecerunt aera nomen)*
*Qui terras, pontumque levi circumtegit umbra,*
*Et penetrat rimosa means in viscera terræ;*

*(Cer-*

*( Certa fides ) facilè humentem permanat in undam,*
*In liquidumque coit, contracto frigore, rorem.*
*Mox abit in latices, & ripis plenior errat,*
*Et magno labens intrat cum murmure pontum.*

Hanc explicandæ originis Fontium rationem ii plerumque amplexati sunt, quibus, duce Aristotele, Libro primo Meteororum, cap. XIII. elementa invicem transmutari placitum. Verùm quemadmodum Peripatetica Metamorphosis principiorum, licèt hæc prima non sint, innumeras, easque gravissimas patitur difficultates, quidquid dicant ii, qui nuper Aristotelis fundamentis Philosophiam omnem superstruxere; ita non sine plurimorum consensu dici posse existimaverim cum Helmontio, in Paradoxis, fontes ex condensatione aeris nasci, somnium esse naturæ impossibile: nullis aerem unquam sæculis aquam fuisse, aut futurum, prout neque aquam aeris formam assumpturam. Quod nempè elementa constantes sint rerum matrices; eademque, post varios rerum ortus, interitusque, in eas redeant naturas, ex quibus unumquodque discesserat. *Cur opinio eadem displiceat.*

Neque satis sibi illorum defensio constat, qui eam Aristotelis sententiam fuisse tuentur, ut aeris nomine vaporem intellexerit, quatenùs nempè vapores, è terræ regione sursum elevati, aeri penitùs se immiscere, ac per eundem quaquaversum ferri consueverunt. *Aeris nomine vapores intelligendi nō sunt.*

runt. Namque adversus Empedoclem aliàs disputans, generationi, & corruptioni obnoxia esse elementa, acriter probare contendit; atque inter eadem præsertim symbola mutuam transmutationem dari satis apertè profitetur. Commentum hoc ad Philosophi mentem decimoquinto Metamorphoseon exponens Ovidius, post descriptam quatuor Elementorum naturam, subdit:

*Quæ quamquam spatio distent, tamen omnia fiunt*
*Ex ipsis, & in ipsa cadunt: resolutaque tellus*
*In liquidas rarescit aquas; tenuatus in auras,*
*Aeraque humor abit; dempto quoque pondere, rursùs*
*In superos aer tenuissimus emicat ignes.*
*Indè retrò redeunt, idemque retexitur ordo;*
*Ignis enim densum spissatus in aera transit,*
*Hinc in aquas; tellus glomerata cogitur unda.*

Quòd si vapores, qui partim à calore quovis ex aquis, partim ab halitibus animalium, plantarumque spiritu, quarum vita, perindè ac animalium, halituosa est, proficiscuntur, aeris nomine intelligendi essent, tunc ultrò transmutationis doctrina concideret. Quid enim aliud vapor, quam particularum aquæ in altum sublata congeries? Qui quidem tantùm abest, ut sit aer, ut citiùs pulvis marmoris, aut silicis aqua sit. Propterea non sine summa ratione, loco citato, scriptum ab Helmontio —

*In quo aer, & vapor differãt.*

ae-

aerem ſive calidis, ſive frigidis locis exceptum, atque compreſſum nunquam aquam daturum, niſi quantum in ſe vaporis, id eſt, extenuatæ aquæ continuerit.

Igitur, ubi deprehenſum eſt, per id haud ſatis aptè explicari fontium ortum, aliò verſa ſunt conſilia Philoſophorum. In re tamen difficili, magnaque judicandi libertate, ut fit, non una eorundem ſententia. Quippè viſum aliquibus eſt, inferiora corpora, & præſertim aquam motui ſuperiorum obſequi; aliis flatu interiùs premente, ſive concluſo ſpiritu aquam ad montium cacumina impelli; nec paucis, venis telluris, quas ſimiles animalium venis fecere, vim quandam hauriendi à mari aquas, ſive his ſaliendi facultatem ineſſe. Hinc in ſupplemento de Spadanis Fontibus Helmontius: „ quandiù aqua priori in hoſpitio communi vita fruitur, ſurſum, deorſumque ſine „ labore properat, quia neſcit. Nec defuerunt, qui in anguſtias à principio redactas aquas attolli, & viciſſim aeris partem occupare, in qua ſint extra naturalem locum, exiſtimaverint; quibus ii demùm accenſentur, qui ſe ut difficillimo originis fontium explicandæ labori ſubtraherent, ab altioribus principiis, iiſque ex ingenii libidine excogitatis, rei totius cauſam non ſine aliquorum conſenſu repetentes, per varios montium flexus ſurſùm humorem emergere ideò crediderunt, quòd, facto primùm, ut ajunt, excultu fontium

*Aliæ veterum de fontiũ origine, cõjectura.*

*Excultus fontium à Deo factus.*

tium à Deo, æquè ad declivia, editaque, ne quid vacuum esset, eadem passim servata itineris lege, aquæ aut descenderent, aut attollerentur.

Verùm hi, ut brevitatis causa, & leviores aliorum conjecturas jam memoratas, &, quæ hìc ad subtiliorem Philosophiam spectant, silentio transeam, animadvertisse mihi visi minimè sunt, non eodem semper loco, quo, puta, à Mundi ortu fluxere, stare alveos, & ductus fontium, nec temporarias modò, ut vocant, sed ne perennes quidem scaturigines aquarum eadem semper spatia dimetiri. Scilicet non est ignotum, multis in locis intercipi tandem fluentium aquarum cursus, sidentis humi ruina opplente meatus, per quos anteà decurrebant; atque ubi priùs arida, & infecunda tellus, novos fontes oriri, nec non novos figi maris terminos, & continentis. Hinc XV. Metamorph. Ovidius:

*Cursus aquarũ constans non est.*

*Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,*
*Esse fretum: vidi factas ex æquore terras:*
*Et procul à pelago conchæ jacuere marinæ,*
*Et vetus inventa est in montibus anchora summis.*

*Quomodo fontes repente emergũt*

Ejusdem rei causam, naturalium Quæst. Libro tertio, cap. XI. prosecutus Seneca: Sæpè, „inquit, motu terrarum itinera turbantur, & „ruina interscindit aquas; quæ retentæ novos „exitus quærunt, & aliquo impetu faciunt, aut „ipsius quassatione terræ aliundè aliò transferun-

„ runtur. Apud nos evenire ſolet, ut, amiſſo „ canali ſuo, flumina primùm refundantur: „ deindè, quia perdiderunt, viam faciant. Propterea repentinis hiſce vicibus erumpentium, ac deſinentium aquarum exterritos quarundam regionum incolas, legimus. Livius verò Romanæ Hiſt. Libro Quarto, dec. 3. quòd in vico Iſtrico repentè fons quidam emerſiſſet, miraculi inſtar retulit. Nec breves dumtaxat fretus, verùm, quod mirere magis, immenſos maris tractus has vices ſubiiſſe, norùnt omnes. Quid ergo dicendum videbitur, cùm caſu aliquo ingens profundi ſpatium penitùs aut aggerabitur, aut, dehiſcente humo, de novo fiat? potiſſimùm ſi, quod in Meteor. libro habet Pontanus, explicandum contingat: *Marium loca quæque mutantur.*

*Hoc mare, quod nunc ingenti duo littora tractu*
*Europam, Lybiamque ſecat (non fabula) quondam*
*Tellus una fuit: medio ſtetit æquore taurus*
*Inſudans ſulco, atque attrito vomere feſſus;*
*Nunc, merſa tellure, natat vento acta carina.*

Quot tunc, in tanto maris motu, credimus occluſos ductus, aquarumque exſiccata principia? Quot iterùm novos exitus concluſum humorem ſibi quæſiviſſe?

His itaque, aliisque missis, ne quotiescunque immutari cursum aquarum cernimus, aut ad solutionem fabulæ Deos, ut dicunt, in scenam vocemus, aut alias minùs naturæ instituto respondentes causas comminiscamur, libebit paucis rem absolvere per solemnes illorum conjecturas, quorum alii pluvias, solutasque nives, & grandines, vapores alii, alii demùm mare ipsum pro materia fontium statuere. Neque tamen pro singulorum opinionibus aperiendis, fulciendisque necesse fuerit argumenta repetere, quæ penes auctores suos satis exculta inveniuntur, sed ex iis, quæ in qualibet probabilia maximè sunt, veritati propiorem eruere.

*Pluviæ vapores, & mare, causæ fontium.*

Igitur quemadmodum quidquid est scaturientium aquarum ex vaporibus aliquandò concrevisse, ita vapores aut sursum in aere, aut deorsum sub terra fuisse collectos, nemo inficiabitur. Utrisque scaturientes aquas debere aliquid, at ratione omninò diversa, non unica conjectura suadet. Namque prioribus, ex quibus pluviæ, quibusque ros, nix, & grando accensentur, augescere fontes negari minimè debet: verum satis inde humoris, quod multi acriter tuentur, ad perennitatem habere posse, nullo pacto videntur. Propterea loco suprà citato Seneca, pluvia, inquit, potest facere torrentem: non potest autem æquali inter ripas suas tenore labantem. Aquam non faciunt imbres, sed in-

*A pluviis perennes aquæ non pendent.*

„incitant. Sequitur propterea, materiem, quà perennes aquæ, quà perennes decurrunt, non aliundè, quàm à vaporibus subterraneis sensim concrescentibus (subterraneam pluviam, tuendæ suæ de origine fontium sententiæ causa, doctissimus Caspar Bartholinus Thomę filius, Dissertatione eadem, sectione nona, diceret) derivari; quod quidem probatu difficile haud puto.

*Sed à vaporibus subterraneis.*

Ut autem ea primùm amoveam, quæ obesse plurimùm huic sententiæ videntur, quantumvis ex casu pluviarum intumescere fontes dicantur, illud est nihilominus animadvertendum, non omnibus hæc incrementa contingere, nec, ubicunque pluit, scaturientium aquarum rivos procreari. Cujus rei ratio nullatenùs est ad illorum defectum referenda, quæ in causa esse solent, ut aquæ sparsim decidentes in unum colligantur. Siquidem etsi tellus aquæ satis bibula suppetat, fundusque densè luteus, qui humorem sustineat; ad hæc verò colles circùm in cisternæ morem aquam asservantes assurgant, attamen haud raro evenit, ut, & post magnum imbrium casum, nusquam scaturientes aquæ indè dimanent.

*Ubi multum pluvię, sæpè nullus ibidem fons est.*

E contrà favent adhuc magis conjecturæ ditissimæ scaturigines aquarum iis in regionibus, in quibus rarissimi, paucissimique per annum imbres. Qua de causa sæpè rejicitur, quod quidam argumenti loco ponunt;

*Multi fontes sunt sępè iis in locis, in quibus vix unquam pluit.*

quorum Seneca libr. 3. Nat. Quæst. c. 6. meminit: pauciſſima, inquiens, flumina eſſe in his ,,locis, in quibus rarus eſt imber: ideò ſiccas ,,eſſe Æthiopiæ ſolitudines, paucoſque inveniri in interiore Africa fontes, &c. At contrà ,,Germaniam, Galliam, Italiamque abundare rivis, & fluminibus, quia cęlo humido u-,,tuntur, & ne æſtas quidem imbribus caret. Neq; hìc longo ordine enumerandas regiones cenſui, quę vix per totum annum pluviis ſemel madefiunt, & nihilominus fontibus abundant. Quoniam nempè ingentes in iiſdem ſubterraneæ cavitates ſunt, ad quas & facilè è mari aquæ perveniunt, & à quibus in vapores aſſiduè humor extollitur, undè perennium aquarum principium. Satis enim multa hujus rei teſtimonia extant apud Scriptores, & præſertim apud Cl. Rob. Plot. in Tentamine Philoſophico de origine fontium, qui rei utriuſque haud pauca exempla conquiſivit.

*Conceptacula aquarũ non ſemper rem explicant.*

Quo quidem in loco, quomodo hæc eveniant, libenter quærerem ab iis, qui conceptaculis quibuſdam, quæ tamen multis in locis exiſtere ultrò concedimus, aſſervari pluvias aquas, atque exindè ſicco etiam cęlo fluere fontes ideò aſſeruerunt, quia conceptacula eadem in anguſtum oſtium deſinentia, quas largo imbre effuſas exceperunt, aquas ſenſim emittunt. Quomodo enim cauſæ perennitatis fontium cum conceptaculis,

&

& reſervatoriis ſuis tunc ſatisfacient, cùm inutilia eadem fuerint, nec ſuppetant pluviæ, quibus impleantur? Quibus addendum, interdum è montibus ſummis rivulos quosdam emanare, quibus uti nullus ſicco cœlo humor accedit, ita nec conceptacula ulla imminent, undè adſervatam aquam excipiant. Scio tamen quid reſpondeant: vix unquam in ipſis montium verticibus, ſed in ipſa declivitate, aut ad ipſas montium radices fontium plurimos ſcaturire, quòd receptacula eſſe, niſi inferiora verticibus nequeant. Et quamvis poſſit contingere, ut in jugo alicujus montis, aut in ea regione fons erumpat, in qua nullus imber; cauſam tamen eſſe, quòd ejus conceptaculum in monte aliquo diſſito, eoque magis edito ſit; hinc aperto deorsùm oſtio, meatuque ſub terra deducto, atque ſurſum per capacitatem humilioris montis reflexo, perreptare aquam, & tandem emergere. Nec deeſſe fluminum exempla, quæ ideò ſicciſſimis in regionibus decurrunt, quia in locis, ubi nulla tempeſtas imbribus caret, oriuntur. Multa ſubtus tellurem ingens iter conficere; uti Tigrim in Meſopotamia ſubtus Caucaſum, Nigrum Æthiopiæ Fluvium, qui abditas aliorum montium radices pervadens demùm in Atlanticum Oceanum deſinit, Alpheum Achajæ fluvium, quem mare ipſum ſubterlabi, ac prope Syracuſas in Arethuſam fontem erumpere ajunt. Emine-

*Quomodo aliqui hãc ſententiam tueantur.*

*Flumina quædam inveniũtur, quæ ſubter montes decurrunt.*

nere verò inter cęteros Nilum; cujus ob longissimum, abditissimumque iter, dictum est:

*Nec licuit populis parvum te, Nile, videre.*

*Quid in hac sententia displiceat.* Verùm licèt hæc probabilia maximè videantur; attamen quis unquam satis intelliget, eum ordinem inter telluris penetralia servari, ut innumeræ fistulæ per immensa inæqualium terrarum spatia incredibili studio diductæ, ad procreandos fontes perpetim emanantes ubique præsto sint? Quomodò enim, si quisque perennis fons iis carere non potest, tantus earum numerus emersit? Cur itineris longitudine tandem corrumpi easdem non contingit, aut incursu aliarum aquarum, mole telluris, non enim ubique per montana, & scrupea loca ducuntur, & viarum variis flexibus in singulos dies, aut non intercipi, aut facilius sibi, expeditiusque iter invenire? Cur denique, quod vix ingenio assequaris, fortuiti aquarum incursus, nunquam mutata itineris lege, tandiù servant? Equidem tanto labore excavatas porticus rectiùs dixeris excogitatas fuisse ab scriptoribus, ut conjecturam suam firmarent, quàm factas ab aquis, ut indè fluminum materies ab dissitis omninò regionibus duceretur. Cęterùm nec aliquorum fluminum exemplis, quæ longum iter subtus tellurem conficiunt, ferè innumeris nunquam deficientium aquarum causis satisfit. Primò enim multùm differt,

fert, an aquæ per declivia ferantur, an ab edito aliquo monte descendentes, diù, multùmque occulta terrarum permeent, ut rursùs ad immanem altitudinem aliorum montium ascendant. Deinde, uti ubique non licet ad hosce confugere, quia aut nulli sunt, aut altitudinem illorum sæpè non æquant, ita eadem ibi difficultas obversatur circa cùm casum, tùm quantitatem pluviarum, quæ permagnorum fontium impendiis supplendis sufficiant.

At rationes, quæcunque excogitari possent, videtur subvertisse Anonymus quidam Auctor Gallicus; qui, acerrimo super aquis Sequanæ examine instituto, iisque cum pluviis, solutisque nivibus, quas amplissimo conservatorio claudi existimavit, undique collatis, sexta tantum, maximum quinta parte pluviarum, niviumque opus esse dixit, quo per universum annum amnis proflueret. Reliquam aquarum multitudinem incremento fontium, sufficiendis vaporibus, alendisque plantis impendi. Hæc ille calculum suum altiùs exponens libentissimè est prosecutus. Veruntamen liceret ingenioso viro objicere, utcunque id Sequanæ accidat, non omnia conceptacula hujusmodi esse, non descriptam aquæ quantitatem à quoque fluvio demitti, non ubique suppetere eandem pluviæ mensuram, eundem montium situm; appositum demùm, quod magis est, calculum magnis

*Auctoris Anonymi conjectura.*

*A Rob. Plot. rejecta.* difficultatibus implicitum esse. Sed quoniam id muneris ab aliis scriptoribus, & præsertim ab accuratissimo Rob. Plot. in Tentamine Philosophico jam memorato impletum est; ideò juvabit, his, atque aliis prætermissis, illud in memoriam redigere: ad institutum enim maximè spectat, tantùm scilicet abesse, ut scaturigines aquarum à pluviis pendeant, quòd immò si aquæ eædem scaturigines sulphureæ, vitriolatæ, salinæ, aut alio quovis modo medicatæ, calidæve fuerint, illapsu imbrium diluuntur, tepescunt, atque enerves fiunt. Nec eluetur difficultas, si dicas nuper decidentes pluvias nondùm ad ima telluris, ubi aquæ aut fermentationibus, aut ignibus, aut alio quolibet artificio incalescunt, & metallicæ fiunt, se insinuasse. Siquidem nunquam magna aquarum colluvies, supernæ telluris faciei superinfusa, tàm altum penetrabit, ut ad mineralium usque fontium originem pertingere queat. Scimus enim metallicarum aquarum exordia terræ visceribus concludi, non autem ultra eos limites suppetere, quos pertransire supernè decidentes aquæ non possunt. Cujus si itineris mensuram expectas, sit pro responso, quod Seneca in Nat. Quæst. ad Lucilium: Primum ego tibi vinearum diligens fossor affirmo, nullam pluviam esse tam magnam, quæ terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat.

*Quantū pluviæ aquis medicatis officiant.*

„ Nat. Quæst. ad Lucilium: Primum ego ti-
„ bi vinearum diligens fossor affirmo, nullam
„ pluviam esse tam magnam, quæ terram ul-
„ tra decem pedes in altitudinem madefaciat.

Vel

Vel si concesserim aliqua in parte, ob argillosæ terræ defectum, imum pluvias aliquatenùs petere; nondum tamen evinces, satis inde humoris suppeditari nunquam arescentibus, iisque peramplis fontibus posse. Iterumque Islandię, Japoniæ, & demùm non vulgaris nominis Cubæ fluvium objiciam, qui, Petro Martyre teste, illius est magnitudinis, ut commeantes naves possit admittere, & tamen adeò fervet, ut sine doloris sensu attingi non queat. Hujus enim originem si ab imbribus duxeris, difficillimum semper explicatu erit, quomodò omnis aquarum ille apparatus per cretaceam substantiam ad eam telluris partem sibi viam sternat, in qua effervescentiæ causam fontes inveniunt; ut hujusmodi aquarum investigatores tradunt. Igitur, ne in rebus aliàs descriptis nimius videar, cùm ad vapores sursum in aere concrescentes referri perennium fontium origo nequaquam possit, reliquum erit, ut pendeat ab iis, qui deorsùm sub terra ex internis lacubus colliguntur. Probandę conjecturæ communio maris cum subterraneis aquis, perennis calor viscerum terræ, satis ad elevandos vapores aptus; ipsaque telluris substantia, & figura succurrunt. Et primò quidem communionem maris juvat interior terræ figura. Hæc enim cùm multis in locis ex non paucorum observatione iis stratis scateat, quæ aquam facilè absorbeant, & transmit-

*Cubæ fluvius calidissimus.*

*Opinio veritati propior.*

*Per arenam facilè aquę decurrunt.*

mittant; in aperto eſt, poſſe per eadem aquarum vim ingentem ſecundùm declivitatem viarum iter vel longiſſimum conficere.

*Cavernoſa terræ figura eſt.*

Eò autem apertiùs hæc humoris communio patefit, quò faciliùs oſtendi queit, ingentia intra tellurem ſpatia, facillimumque per ea aquarum commeatum eſſe. Hæc Nat. Quæſt. Lib. 3. capite XVI. deſcribens Seneca: ſunt, inquit, & ſub terra minùs nota nobis jura naturæ, ſed non minùs certa. Crede infrà, quidquid vides ſuprà. Sunt & illic ſpecus vaſti, ſunt ingentes receſſus, & ſpatia ſuſpenſis hinc indè montibus laxa. Sunt abrupti in infinitum hiatus, qui ſæpè illapſas urbes receperunt, & ingentem in alto ruinam condiderunt. Hinc in Meteor. Libro egregiè Pontanus:

*Nec verò quamvis ſolido ſtet robore tellùs,*
*Mole ſua gravis, & denſo ſe robore firmet;*
*Non vaſtis intùs ſpecubus patet, atque hiat altè,*
*Immenſum ductis abrupta ſede cavernis.*

*Communio maris cum ſubterraneis aquis.*

Hùc aquas marinas uſque pervenire, verumque maxima ex parte eſſe, quod Seneca, ejuſdem Lib. cap. XV. habet: Mare nempè „unum eſſe, ab initio ſcilicèt ita conſtitutum: „habere ſuas venas, quibus impellitur, at„que æſtuat, multa indicio ſunt. Hac nempè de cauſa amnes aquæ dulcis, perfracta tellure, ſæpè in amaros abierunt; marini piſces lacubus quibuſdam inſunt; nonnulli, ut in

Cypro,

Cypro, & Germania apud Halam, ſalſi penitùs ſunt; putei, quemadmodum in Lib. 2. de ſubtilitate Hieronymus Cardanus adnotavit, quò magis à mari diſtant, eò plerumque minùs ſalſi ſunt; ſed, quod nullam ferè reſponſionem admittit, fontes nonnulli, decedente mari, ſubſident, augeſcente, pari pernicitate attolluntur, uti, præſtantiſſimo Petro Gaſſendo referente, ſe habet fons in Inſula, quæ è regione Timavi eſt; & rursùs lacus permulti maris ipſius æſtum, vicibus nunquam intermiſſis, æmulantur. Hac de cauſa, inquam, in terræ viſceribus inter fodiendum, navium rudera, conchæ marinæ, atque alia hujus generis crebrò inventa fuerunt: argumento planè certiſſimo, aliquandò meatus ibidem fuiſſe, per quos marina aqua diſcurreret; quos deindè proruens terræ moles occæcarit. Nec prætereundum eſt, quod non levi ratione celeberrimus Kircher oſtendit; maria nempè ipſa per latiſſimos ductus inter ſe communionem maximam habere, ut Mediterraneum cum Mari Rubro, & Caſpium cum Euxino. Propterea non improbanda videntur, quæ in ſexto Libro de natura rerum habet Lucretius:

*Æſtus quorundam lacuũ æſtui maris ſimilis eſt.*

*Marium quorundam cõmunio.*

*Poſtremò quoniam rarò cum corpore tellus*
*Eſt, & conjunctas oras maris undique cingit;*
*Debet, ut in mare de terris venit humor aquai;*

In

*In terras itidem manare ex æquore ſalſo.*

Neque profectò, cùm fateantur omnes, dari in ultimis terræ viſceribus ingentem aquæ congeſtionem, quam ut deſcriberet Plato, Tartareum Oceanum, Seneca, Stagnum ſine fundo, Helmontius, Internum Mare, alii verò Barathrum, Cocytum, Stigem, & Phlegetonta nuncupavere; eſſet in promptu explicare, quomodò aliundè, quàm à mari, tanta aquarum multitudo congereretur.

*Cur ſalſedo plerumque in fontibus nulla ſit.*

Huic eidem ſententiæ non multùm obſiſtit, quod de ſalſedine Maris objicitur. Ut enim, dùm in nubes aqua attollitur, ſalinæ particulæ, utpotè graves, atque ob ſui rigiditatem motui corporis cuncta permeantis minùs obſequentes, cum aquis nequeunt aſcendere, ita multò minùs, dum aqua eadem per terræ ſubſtantiam percolatur, atque in vapores, ut dicetur, rareſcit, ſales quilibet duri, & rigidi, aut per obliquos telluris poros tranſire, aut in vaporem elevari queunt. Dulcis hac de cauſa tantùm humor excernitur, niſi fortè in debita à telluris ſuperficie diſtantia in mineras quaſdam impingat, aut aliquo alio minerali halitu altiùs inficiatur, undè medicatæ aquæ naturam aſſumit.

Hoc poſito, facilis ad ordinem originis fontium penitùs explicandum via eſt. Namque

que cùm in vapores extenuari priùs aqua debeat, deindè sensim concrescere, & rivulos efformare; juvat primò vaporum eorundem ascensum calor, quem imis telluris visceribus inesse facilè Philosophi concesserunt. Is, sive à subterraneis ignibus, sive à subtilissima quadam materie loca quælibet pervadente, sive à salium, aliarumq; rerum solutarum mixtione ortum ducat, aquæ particulas ab invicem secernit, & tandiù movet, ac sursum propellit, dùm circumobsistente frigore, iterùm in aquæ guttas cogantur.

*Caloris subterranei origo.*

Calidum esse telluris imum, ibique ingentem vaporum multitudinem versari, satis experiuntur metallorum fossores; qui subterraneas cryptas calidas, atque veluti exsudantes ferè ubique reperiunt. Licèt autem non qualibet tempestate anni hujusmodi calor intra tellurem persentiri dicatur, nihilominùs animadvertendum, uti ostendere exorsus est clarissimus Boyleus, in tractatu de temperie subterranearum regionum, id cùm in prima telluris regione, tùm in secunda verum maxima ex parte esse. Illìc enim temperies admodum varia est, tùm quà limites, quàm quà temperiem ipsam; hìc maxima sui parte ad frigiditatem accedere videtur, si cùm duabus cæteris eandem conferamus. At constans tertiæ telluris regioni, sensibilisque calor ex plurimorum observationibus inest; quamvis non eadem passim ejusdem vis percipia-

*Cur non ubique persentiatur.*

cipiatur. Porrò maximum hujus caloris ſignum vapor eſt, utpote qui ſine calore aliquo duci non queat. Et quamvis per diverſas tempeſtates anni, ob variam externi aeris temperiem ob oculos non æquè obverſetur, quoniam variè comprimitur, nec non aliquandò plurimùm diſſipatur; nihilominùs probandæ conjecturæ ſatis erit eundem è terræ viſceribus erumpere, atque ſæpiſſimè eſſe conſpicuum. Ubi autem ob externi aeris injuriam in quacunque altitudine deprehendi non poſſit, non ideò aptè quis inferat eundem deeſſe, quia in quibuſdam locis non apparet. Summè enim & rationi, & experimento conſonum videtur, in telluris imo, ubi frigoris vices, quæ in noſtro aere ſunt, ſatis afficere regionem eandem non poſſunt, ex conſtanti vaporis cauſa aſſiduè vaporem procreari, undè, quidquid demiſeris, humefiat. Cæterùm & nos ferè ſemper, licèt in modica admodùm altitudine, in cellis vinariis, atque hujus generis locis tenuiſſimum quendam rorem deprehendimus: immò lignum in his aliquandiù aſſervatum madefieri, quotidiana experientia demonſtrat.

*Vapor cur non ubique, ſemperque conſpicuus ſit.*

Igitur, ubi in cavernoſis montibus præſertim, elatus hujuſmodi vapor ſit, conducunt operi creberrimi terræ meatus. Nam quemadmodum uſque ad nubes vapores multos attolli cernimus, licèt fluidæ, ac mobiles aeris particulæ ipſos æquè fulcire non poſſint;

*Quomodò vapores terræ ſubſtantiã penetrẽt*

ſint; ita multò faciliùs per obvios telluris poros repunt, ab ejuſdem particulis ubique ſuffulti. Ubi verò altiùs penetrantes, frigore ſenſim ſuccedente, torpeſcere incipiunt; tunc idem ſub terra evenit, quod in nubibus, ut ſpiſſentur, ac rursùs in aquam amiſſa vaporis forma vertantur. Hìc, ex telluris meatuum neceſſitate, prima fontium rudimenta. Siquidem cùm aquæ particulæ tenuiſſimæ, id eſt in vaporem extenuatæ, facilè per minimos poros ſurſum aſcenderint, nequeunt per eoſdem inſpiſſatę, hoc eſt in aquam denuò coactæ, ob aditus anguſtiam regredi, unde diſceſſerunt. Itaque latiores ſibi vias inveniant, neceſſe eſt: atque exindè in intervallis cruſtarum, ſive corticum, & ſtratorum argillaceorum, tanquam per aquæductus, quibus tellus paſſim contexitur, fluunt; ex quibus ſecundum locorum declivitatem obliquè deducuntur. Id perpetua evaporationum, & condenſationum viciſſitudine eouſque procedit, donec ſubterraneæ aquarum viæ vel in ſuperficie telluris, uti in fonte quolibet perenni experimur, aperiantur; vel, ſi aliter res eveniat, aquæ eædem per arenam inter ſtrata argillacea ſitam, ſubtus tellurem ipſam maximam itineris ſui partem abſolvant: haud aliter quàm fieri quibuſdam in fluminibus ſcimus, uti de Nilo, Guadiana, aliiſque ſcriptores referunt, & quemadmodum in eleganti Tractatu de Fontium Muti- *Undè rivi oriantur.*

nen-

nensium admiranda scaturigine, capite V. eruditissimus Bernardinus Ramazzinus demonstravit.

*Quid de pluviis sentiendum sit.*

Quibus de causis, ne, quos mihi pepigi, terminos transgrediar, non ambigo, quin concedendum sit, pluvias aquas, &, quæ his accensentur, rorem, nivem, & grandinem, solere quidem aliquibus temporariis, quemadmodum appellant, fontibus & principium præbere, & incrementum. At perennes scaturigines aquarum, intrà quorum censum medicati præsertim fontes connumerandi sunt, lacubus in interiore terræ regione existentibus, atque indè exortis, ut sic dixerim, subterraneis pluviis originem debere, omni ex parte veritati consonum esse arbitror. Proindè, quà mensura illorum humor à subterraneis locis per cavernosorum montium radices ad superiora evaporatur, eadem ex mari sufficitur: ut propterea in perpetuo quasi libramento, eadem altitudine, & communicatione, aquarum moles utrinque persistat. Dictum indè, nihil deficere, quod in se redit; nec subesse causam, cur miremur, quòd accessionem fluminum maria non sentiant, cùm decrementa exeuntium terra non sentit.

*Cur mare non crescat.*

Quo-

# *Quomodò Fontes Simplicium Aquarum Medicati fiant.*

## CAPUT III.

QUemadmodum vulgarium aquarum indolem commendat humoris puritas; ità multiformis alienarum rerum commixtio medicatis Fontibus pretium impertitur. Prior aquarum conditio principio ſuo non eſt diſſimilis: alteri quidquid accedit, totum eſt præter aquæ naturam. Nihilominus humorem facultatibus, ut loquuntur, alienis imbutum, ob rerum heterogenearum miſcellam, utilem quandoque morbi fecerunt: immò ſæpenumerò fortuito ſubterraneæ materiei incurſu hujuſmodi medicamen indè confectum medentes experti ſunt, quod nulla ars longo opere unquam paraviſſet. Quidquid id eſt, mineralis, metallicivè fontis nomine inſignitur; cujus origo eſt à minera, ſive matrice, in qua ſeu ſuccus, ſeu metallum, ſeu lapis, ſeu gleba, ſeu terra mineralis exoriuntur: Quæ tamen omnia non apud veteres modò, ſed & apud recentiores pleroſque, æquè ſub metallorum nomine veniunt. Cùm autem

*Undè pretium aquæ facultatibus alienis imbutæ.*

non ſingula, quæ in telluris viſceribus gignuntur, ſalutaria ſint, nec, quæ ſeorſim ſalutaria, ubi in unum coierint, priorem naturam, facultatemque retineant; ortum indè, ut variæ medicatorum fontium ſpecies varias etiam admotæ corporibus in actiones prodirent. Egregiè idcircò in Meteororum Libro Pontanus:

*Nec ſapor, nec color ullus aquis fluvialibus. Ipſæ*
*Tellure hos de matre trahunt; hinc ſæpè venenum,*
*Sæpè ſalus: Adeò variat Tellusque, Solumque.*
*Terra ſalutiferas vires, eadem ipſa nocentes*
*Præbet aquis; ſuccoque ſuo prodeſtq;, nocetq;*

*Variæ metallicarũ aquarum facultates.* Extra propoſiti operis inſtitutum eſſet ſingula proſequi, quæ de varietate fontium, atque aliarum aquarum circumferuntur. Nec facile foret explicare, qui fieri poſſit, ut quidam in lapidem corpora immerſa tranſmutent; alii electro, atque auro ſimiles lapillos faciant; alii, licèt magna quantitate vino miſceantur, vires vini non minuant, ut de illo traditur, qui in Strueniæ finibus eſt, juxta Oppidum Sti Galmerii (Fonfort incolæ appellant); in animi arcem alii rursùs invadant, quos quiſquis faucibus hauſit, ut inquit Ovidius, Metamorph. libro XV.

*Aut furit, aut patitur mirum gravitate ſoporem.*

Alii

Alii nocte dumtaxat noceant, de quibus idem Poeta, loco citato:

*Est locus Arcadię, Pheneum dixere priores,*
*Ambiguis suspectus aquis; quas nocte timeto:*
*Nocte nocent potæ; sine noxa luce bibuntur.*

Mirandi verò præ reliquis duo illi fontes; quorum alter (Astacenum dicunt) in Ponto est; isque ita rigat campos, ut oves, quæ herbis iisdem vescuntur, lac nigrum ferant, quod & equabus contingit. Alter verò, cujus non Plinius modò, sed & D. Augustinus 2. de Civit. cap. 7. meminit, fons Jovis in Dodone est; quem ajunt injectas ardentes faces extinguere, easdemque extinctas, ubi rursùm admoveantur, accendere.

*Fons Astacenus nigrum lac efficit.*

*Fons Jovis extinctas faces accendit, & accesas extinguit.*

At, cùm quidquid istiusmodi operantur aquæ, non ex suo principio, sed aliundè traxerint; juvabit id unum exquirere, quomodo scilicèt heterogenea quædam corpora in substantiam earundem immigrare penitùs valeant, easque tam diversis facultatibus imbuere. Et primò quidem, nemini dubium esse arbitror, quin, uti dictum est superiùs, scaturigines omnes aquarum, quæ ab ea puritate descilcunt, quam describens Plinius „ ajebat, aquam salubrem aeri quàm simil„ limam esse oportere, quippe sincerus aer „ nec visui, nec olfactui, nec gustatui ullas „ qualitates offert, quidquid habent alienarum virium, telluri debeant. Propterea in

*Facultates aquarum à telluris qualitate ducũtur.*

Lib. de Sen. & Sensib. dixisse videtur Ari-
„ stoteles: Tales sunt aquæ, qualis est na-
„ tura eorum, per quæ transeunt. Rursùs
„ verò, in secundo Meteororum, aquas su-
„ scipere impressiones ab his terris, per quas
„ dilabuntur, auctor est.

*Variè explicatur aquarũ hujusmodi initiũ*

Quomodò autem metallorum, aliorumque succorum, in telluris sinu latentium indolem referant Fontes, variè explicatur. Cùm enim, uti notat Paracelsus Chir. Magnæ P. 4. L. 10. vis Thermarum non ex eo proficiscatur, quòd illæ per mineralia transfluant, verùm potiùs quòd ferè ipsæmet mineræ sint; hinc, in assignanda intima hac mineralium mixtione cum aquis, mixtionisque causa, plerumque non conveniunt medicatarum aquarum descriptores. Utcunque tamen alii alias solutionis, mixtionisque causas attulerint, haud crediderim adimendam penitùs ulli fidem esse; quatenùs nempè, quemadmodum considеranti facilè patebit, multiplici ratione fieri potest, ut aquæ, inter quas sæpissimè ingens discrimen intercedit, metallica corpora assumant.

*Quando aqua pura scaturiat.*

Itaque, ut præcipua hujus rei argumenta percurram, summè credibile est, tunc aquas simplices esse, atque aeri quàm simillimas, ut cum Plinio loquamur, cùm eædem ab omni mineralium mixtione immunes in summis rupibus, longe à fæce, & inter saxa, sabulumque scaturiunt; vel, si alienæ mixtionis inqui-

na-

namento expertes non ſint, cùm per eadem ſaxa, ſabulumque nitidum ita percolantur, ut extranea quælibet corpuſcula veluti cribro ſecreta, antequam ad ſcaturiginis locum pervenerint, omninò dimittant. Quemadmodum autem aſſerere fontes ferè omnes, qui ab inferna tellure prodeunt, aliquandò heterogeneorum corporum labe infectos fuiſſe, à veritate alienum omninò non eſt; ita ubi contingat eoſdem accommodata ad percolationem loca non invenire, tunc, quam ſemel excepere materiem, ſecum trahunt, ac ſimul erumpendo medicatos latices ſæpiſſimè conſtituunt. Triplici porrò de cauſa, ut omnes mixtionis rationes ad quædam capita brevitatis gratia redigam, fieri poſſe arbitror, ut fontes rerum mineralium ſubſtantiam acquirant. Vel enim, ipſo decurrentis aquæ impetu adjuvante, terreſtres particulas, molleſque, ac teneras mineralium, metallorumve radices arripiunt, atque avehunt; vel, per determinata loca tranſeundo, non unius naturæ, atque indolis ſalibus, ut ajunt, impræ-gnantur, quorum ope durorum corporum poros dein penetrant, eorundemque ſubſtantiæ partem tandem diſſolvunt; vel demùm vapores, atque halitus intra tellurem excipiunt, quos per telluris ejuſdem poros, ac rimulas metallorum, ac mineralium matrices attollunt; eoſque aut ſimplices ſecum vehunt, aut per ipſos compactiora quælibet

*Triplex ratio mixtionis in aquis medicatis.*

corporum claustra reserant; atque indè altioris miscellæ initia promoventur. Cætera verò, quæ nonnulli scriptores comminiscuntur, medicatarum aquarum principia, vel nullius ferè momenti esse, vel facilè ad enumerata redigi posse, pronum captu est. Priorem igitur mixtionis rationem quod spectat, nemini incompertum esse puto, inertem eam esse, ac nullius usus in medicina; adeout ne mixtionis quidem nomen mereri videatur. Quippè, ubi fons crassa corpuscula, veluti torrente quodam ab canalium parietibus abrepta secum ferens, ex angustiis subterraneorum meatuum in aperta prodeat; tunc quidlibet eidem confusum fuerat, ab aquæ poris excidit, brevìque humor priorem puritatem, nitoremque recuperat. Hinc obvii sæpissimè fontes quidam sunt, ex quibus ferè in ipso eruptionis articulo arenæ, lapilli, atque aliarum rerum ramenta præcipitari consueverunt. Atque hæc fortasse doctissimi Fallopii aquarum mixtura est, quam ipse in Libro de Thermis, capite octavo, confusam nuncupavit.

*Prima ratio quomodo cõtingat.*

*Secunda ab solutis salibus pendet.*

Altera mixtionis ratio salinis corporibus debetur; quorum promptuaria cùm crebris in locis suppetant, atque idcircò nullo negotio ingredi prætereuntes aquas possint, minimè mirum esse debet, multorum indè medicatorum fontium originem petendam esse. Ut enim sales iidem perse mineralis ali-

alicujus aquæ fontem constituere valent, ita, cùm aquam eandem summè inalterent, atque acuant, demùm efficiunt, ut, si aliquod corpus obviam fiat, cujus poris salium ipsorum corpuscula aptentur, ejusdem portionem aliquam solvant, atque ita verè medicati fontis naturam conficiant. Adhuc autem altioris miscellæ ratio ab salibus proficiscitur. Quippe ubi aqua, quæ salino aliquo corpore turget, in aliam mineram adversæ indolis impingit; uti facilè ratione eadem alterius mineræ partes exsolvit, ita nullus dubitandi locus relinqui videtur, quin dum salina, aliaque corpuscula inter se contraria invicem sese contingunt, ingens eorundem lucta, atque effervescentia de more exoriatur. Quo posito, nemo non videt, qui fieri possit, ut per hujus motus violentiam quælibet ferè corpora circumposita aperiantur, ac dissolvantur; atque indè singula mineralia, prout occasio fert, subtilissimè præterfluentibus rivis misceri queant.

Postrema ratio mixtionis ab subtilissimis vaporibus, atque halitibus petitur; quatenùs, dùm hi ab infernæ telluris gremio elevati ejusdem rimas, ac poros penetrant, si in præterfluentes aquas incidant, ex itineris necessitate eas ingrediuntur, atque alterant. Hujus miscellæ initium ferè omne, atque momentum subterraneæ fermentationi innititur; siquidem per eam oberrantes halitus pas-

*Tertia à spiritibus, vaporibusque.*

paſſim habentur, à quorum communione ſaltem in principio aut pauciſſimos, aut nullos fontes immunes inveniri vehementer ſuſpicor. Neque tàm inſignis fermentationis origo in arcto ſita. Si enim principia adverſæ indolis, unum in locum congregata, uſquam inter ſe quodammodò certare conceditur, id certè in telluris gremio contingit; in quo licèt conſpicua minùs, omnium tamen maxima fermentatio eſt. Siquidem cùm elementares omnium mineralium, metallorumque particulæ, inter ſe mole, & figura plerumquè pugnantes, aut ſubtiliſſimo aliquo corpore cuncta permeante, aut quovis alio naturæ inſtituto, in motum aguntur; tunc ob meatuum anguſtias, & longas viarum ambages in neceſſarium veluti certamen coactę, tanta vi congredi incipiunt, atque interea adeò invicem comminuuntur, ut non priùs contentio dirimatur, quàm inſignes indè alterationes, ac mutationes eveniant. Aut enim jam memoratæ particulæ aliquo in ſubjecto ità figuntur, ut non ampliùs ab invicem divelli poſſint; aut pugna tamdiù protrahitur, dùm agmine facto ſursùm erumpant. Priore ratione omnia metallica corpora, altera meteora procreari conſuevere. Poſteaquam autem ritu hoc iſta evenerunt, ea, quæ in materiam duram acta ſunt, ut metalla jam matura, mole ſua librata eodem in loco conſiſtunt. E contrà, quæ in aperta aeris erupere,

*Horum origo à fermentatione ſubterranea.*

*Duo effectus potiſſimi ſubterraneæ permentationis.*

re,

re, intra Atmosphæræ regionem, ventorum, nubium, fulminum, atque aliorum cùm prope tellurem, tùm in sublimi apparentium multiformes figuras inducunt.

Utraquæ hæc, si antequam aut concrescant, aut exhalent, animadvertantur, commixtione substantiæ vires suas impertiri aquis posse, intellectu facillimum est. Uti enim quemadmodum metallarii præ cæteris norunt, vix ullus telluris intimus locus est, in quo hujusmodi halitus non obversentur, quibus necari aliquoties putearios & ipse testis est Plinius; ita necessariò sequi videtur, ut quotiescunque halitus iidem in aquosos latices offendunt, eosdem ingrediantur, atque inficiant. Neque perfectæ mixtionis ratio abest. Quippè cùm sæpè his in locis aqua vi caloris aliquatenùs extenuata, metallorum verò principia à concretione soluta, hinc indè vaga, & fluitantia, attrita penitùs, & comminuta sint; oritur indè, eadem adeò invicem secundum minimas partes confundi, mutuisque inter se amplexibus adeò illigari, ut vix arte parabilis hujusmodi mixtio videatur.

*Quomodò indè aquæ valeant alterari.*

Quo in loco præterire silentio non queo, aliter in aquarum mineralium procreatione rem se habere, ac illi crediderunt, qui à solis vaporibus mineralibus condensatis prodire easdem, tutati sunt. Non video enim, quomodò intra tellurem tot, tantæque mi-

*Ab solis vaporibus mineralibus aquæ hujusmodi nō fiunt*

nerææ

neræ esse possint, quæ immensam vaporum condensatorum copiam suppeditando, alendo cursui aquarum nunquam exarescentium sufficiant. Quæ nihilominùs etsi suppeterent, minerales aquæ omnes excessu qualitatum magnoperè suspectæ essent; & corporibus nocerent potiùs, quàm mederentur. Cùm autem quotidiana ostendat experientia, hujusmodi aquas, inordinatos succorum motus, atque pravam eorum indolem corrigendo, deploratissimis morbis sæpissimè succurrere; eò denique adducimur, ut fateamur, ea, quæ ex minerarum eructationibus fontes traxere, temperata omninò esse; hoc est portionem quandam dumtaxat halituum metallicorum substantiæ aqueæ fuisse commixtam.

*Aquæ omnes ab ipsa fossiliũ substantia medicatæ fiunt.* Neque ii audiendi ullatenùs sunt, qui metallorum virtutem nescio quam assumi ab aquis, docent, cæterùm nullam metallicam substantiam in easdem immigrare. Quantumvis enim tenuia ea sint, quæ ab aquis vaporis, atque halitus specie excipiuntur; attamen satis constat, esse corpora, certa quadam magnitudine, & figura prædita, eademque, uti de miranda effluviorum subtilitate, & efficacia accuratissimus Robertus Boyle animadvertit, ingenium, & vires rei, undè emanarunt, in omnibus præ se ferentia.

*Secundũ omnem substantiam ubi.* Animadvertendum insuper est, ea omnia, quæ aquis miscentur, exceptis quibusdam succis, qui secundum omnes sui partes in humore

more ſolvi queunt plerumquè non ſecundum omnem ſubſtantiam, concretumque in iiſdem inveniri. Hinc non ferrum, puta, ut ferrum, vel lapis, ut lapis, aquam ingrediuntur; ſed ſoluta lapidis, ferrique principia quædam, terras nempe, vapores, ſuccoſque ſalinos dumtaxat à fontibus verè excipi credibile eſt. Ortum indè, ut cùm hæc haud ſatis expendiſſet Fallopius, apertè negaret, eſſe poſſe aquas metallorum indolem penitùs referentes: non intelligens, quomodò ob eorundem ſoliditatem, gravitatemque, quidquam ab iiſdem abradi, atque indè humori innatare poſſet.

*que non excipiũt aquę corpora mineralia.*

In hunc fermè modum communes aquæ, terram percurrentes, qualitates halituum, principia metallorum, terreſtres particulas, & maximè ingentem ſalium copiam aſſumunt. Ut autem nuſquam fontes deſiderantur, qui ſeorſim ſecundum aliquam rationem enumeratarum mixtionum aliena corpora aſſumant; ita propemodùm innumeri ii ſunt, qui ſimul ſecundum omnes memoratos mixtionum ordines medicati fiunt. In horum cenſum referri percommodè eas, de quibus agimus, Thermas poſſe, crediderim. Pleriſque enim earum terræ portionem quandam, arenulaſque confuſas eſſe, vel ex ſubſidentiis, quæ prope ſcaturigines fiunt, oculis deprehendi poteſt. Rursùs verò eſſe in omnibus ſolutos ſales, atque halitus tenuiſſi-

mos

mos aqueæ ſubſtantiæ altè permixtos, nemo, qui ipſos ritè expenderit, inficiabitur.

*Undè varietas aquarũ;* Porrò ea fermè ratione, qua in diſſolutionibus, quæ arte fiunt, quędam vino vel tantùm affuſo, aliæ nonniſi diuturna maceratione, aut coctione vires ſuas aquæ communicant; intra tellurem quoquè pro moræ, caloris, contentorum genere, pro facili itidem, vel difficili horum ſolutione, levitate, gravitate, tenacitateque, variis rationibus, gradibuſque, aqua facultates eorundem acquirit. *potiſſimũ per effectus.* Hinc tot inter ſe ſummoperè diſcrepantium & ſapore, & viribus fontium genera. Hinc, ut in univerſum aquas omnes minerales, exceptis iis, quæ nocendi vi præditæ ſunt, complectamur, quemadmodum naturalium Quæſtionum Libro Tertio, cap. I. inquit Seneca: Quædam „ oculos, quædam nervos juvant, quædam „ inveterata, & deſperata à medicis vitia „ percurant. Quædam medentur ulceribus, „ quædam interiora fovent potu, & pulmo„ nis, ac viſcerum querelas levant. Quæ„ dam ſuppriment ſanguinem; tàm varius „ ſingulis uſus, quàm guſtus eſt.

*Cur mutentur fontes.* Neque tamen conſtans ubiquè metallicorum fontium indoles, & fluxus. Namque ſæpè remitti eorundem vires, ſæpè omninò evaneſcere, nec rarò ſive ictu, & quaſſatione aliqua, ſive loci ſenio corrumpi eoſdem, intercipique penitùs contingit.

Cæ-

Cæterùm, licèt tam variæ medicatarum aquarum ſpecies ſint, eò tamen ferè omnes redigimus, ut in Acidulas, & Thermales dividantur. Sciendum tamen eſt, Galenum, eoſque ferè omnes, qui Galenum ſectati ſunt, ſive eæ caleant, ſive frigidæ ſint, & rursùs ſive externis morbis dumtaxat medeantur, ſive potui etiam inſerviant, promiſcuè inter balneares recenſere conſueviſſe.

*Diviſio potiſſima aquarũ medicatarum.*



De

# *De causa caliditatis Fontium Patavinorum.*

## CAPUT IV.

*Unde Thermæ dicantur.*

THermarum Patavinarum historiam scripturo nihil calore propiùs animadvertendum occurrit; indè enim nominis ratione desumpta, Thermalis humor, quia in exortu suo, nullo externo igne, aut quovis alio artificio adhibito calidus, nuncupari consuevit. At quantò conspicua magis in hujusmodi fontibus caliditas, tantò magis operosum caliditatis ad originem suam referendæ consilium. Cujus argumenti difficultas vel ea ratione plurimùm innotescit, quòd multæ, dubiæque passim doctorum, & intelligentium sententiæ circumferuntur; nec varia modò sunt, sed maximè inter se contraria, quæ super hac re, consueta scribendi libertate, in medium attulerunt. Ego licèt id conjectura assequi arduum futurum intelligam, quia nihilominùs nec rem omnem silentio præterire honestum, nec singula, quæ in communi de aquarum caliditate scripta sunt, perloqui expeditum, in re tàm vasta ita me geram, quemadmodùm ii, qui in par-

*Variæ super calore aquarũ sententiæ.*

parva tabella ſitum regionum depingunt; ſcilicet paucas admodum, at præcipuas aliorum conjecturas, ſimulque, quid in iis diſpliceat, percurram, ne vel me illorum argumenta penitùs ignoraſſe, vel deſpexiſſe ſaltem, quis ſuſpicetur. Pronum inde id abſolvere, quod ſuſcepti operis cauſa.

Itaque, quia nulli incompertum, aquæ ex indolis ſuæ inſtituto caliditatem nullam nobis ſaltem conſpicuam ineſſe, ortum propterea inter ſcriptores certamen externas cauſas aſſignandi, unde ſæpenumero caliditas aquæ ſuperveniret. Atque inprimis placitum non paucis cauſam omnem caloris ad ſolem referre; utpote ab cujus radiis per telluris poros ſe inſinuantibus, quidquid ibidem contentum eſt, facilè incaleſcat. Quibus tamen nemo conceſſerit, aut ab ſole tantùm calorem excitari, aut vim ſolarium radiorum tàm altum in terram penetrare poſſe; multò verò magis eidem ſententiæ ſemper adverſabitur caloris fontium cùm æſtate, tùm hyeme, cùm noctu, tùm interdiù æqualitas, & conſtantia. Nec ſatis aptè loqui videntur ii, qui ideò ſemper æqualem calorem aquarum eſſe ajunt, quòd inferna de parte, ubi supernæ calor deficit, vis ſolis per telluris corpus emergat. Siquidem ſatis doctè iis reſpondet libro ſexto de rerum natura Lucretius, dum ait:

*Sol pro cauſa caloris aſſignatur.*

*Sed nulla ſatis valida ratione.*

*Quippè ubi ſol nudum contrectans corpus aquai,*

Non

*Non quiverit calidum supera de reddere parte,*
*Cùm superum lumen tanto fervore fruatur:*
*Qui queat hic, subter tàm crasso corpore terram,*
*Percoquere humorem, & calido sociare vapori?*
*Præsertim cùm vix possit per septa domorum*
*Insinuare suum radiis ardentibus æstum.*

*Violentus motus pro causa caloris allatus.* Visum aliis violento motui, quo aqua per anfractus terræ vi superincumbentis agitur, & saxis illisa variè torquetur, caussam omnem caloris assignare. Qui, dùm id variis rationibus probare adnituntur, non vident, ideò per motum aliquibus in rebus procreari calorem, quia particulæ, ut sic dixerim, calorificæ iisdem in rebus quiescentes per vehementem attritionem, vel succussionem in eam rationem motus cientur, quę valet calorem excitare. Hinc, ubi hujusmodi corpuscula non adsint, apertum est, nullam ibidem induci posse incalescentiam; ut præ reliquis in aqua experimur, quæ quantumvis agitata nunquam calorem valet concipere.

*Assignatur ab aliis ignis.* His de causis non defuere, qui altiùs bullientis aquæ spectaculo commoti, augustiora hujus incalescentiæ principia, nempè subterraneum ignem, excogitarent. Propterea auctor est in meteororum Libro Pontanus.

*....... Latè multùm tellure sub ima*

De-

*Debacchari ignem, camposque exurere opertos.*
*Inde fluit calidum referens ex igne vaporem*
*Unda fugax, tectis fervent & balnea flammis.*

Quo in loco, nè ea in medium afferam, quæ adversus hanc conjecturam afferri solent, nempè non posse ignem sine assiduo pabulo existere, aut flammam sine laxa aeris libertate creari; illud memorasse sufficiat, quòd scilicet, etsi in immensis imæ telluris cavitatibus & ardere ignes aliquos, & satis magna spiracula iisdem suppetere concesserim, quod quidem abhorrere à veritate prorsùs non arbitror; nunquam tamen evincent, inde rivos aquarum calorem assumere, utpote qui nimium ab incendii loco distent. Alioquin si usque ad Thermarum ductus subterranei ignes pertingunt, neque enim aquæ possent aliter tantam caloris, atque ebullitionis vim exprimere, non video, quomodò saltem iisdem in locis aut tamdiù perseverent flammæ, aut brevì exitum sibi non muniant. *Cur huic sententiæ acquiescere non liceat.*

Verùm nulla sententia tot sectatores mereri visa est, quot ea invenit, qua, ad particularem, & determinatam actualis calescentiæ causam, ignisque pabulum descendendo, statutum fuit, ipso Aristotele duce, L. de propr. Elem. l. probl. sect. 24. probl. 18. & L. 2. Meteor. sulphuri causam actualis caloris fontium deberi. Cujus rei argu- *A non paucis sulphur.*

mentum indè præ cæteris petiisse videntur, quòd nulla alia materies totidem semina ignis contineat, quòd magna ejusdem quantitate nullus ferè telluris locus non scateat, quòd thermales aquæ omnes nusquam sulphure careant, iterumque omnes ob fœtorem sulphuris æquè displiceant, quòd demùm ab viribus earundem sulphuris effectus apertissimè deprehendantur. Quæ etsi vero similia maximè videantur, animadvertendum nihilominus est (utcunque res se habeat circa corpora calorem procreantia) multas inprimis aquas inveniri summè calidas, ut videre est apud Strabonem, Vitruvium, Plinium, atque ipsum met Aristotelem, quæ nullo sulphure præditæ sunt; atque è contra multas sulphureas esse, quę semper frigent, uti se habet fons quidam in Apennino inter Bononiam, Florentiamque, cui tanta vis sulphuris inest, ut si accensa fax admoveatur eidem, statim fons ipse accendatur, atque ardeat, & nihilominùs ab communi aquæ instituto nequaquam deflectens naturalem frigiditatem ubique servat. Deinde haudquaquam facilè explicatu est, qui fieri possit, ut inde fontes contrahere calorem valeant. Sive enim accensis sulphuribus subesse aquas, sive imminere iisdem dicant, utrinque eos variis de causis in angustias adigi necessum est; ut satis fusè non pauci Thermalium aquarum investigatores demonstra-

*Sed ineptè.*

ſtrarunt. Propterea quemadmodùm his iterùm recenſendis immorari haud decet, ita brevitatis cauſa juvabit alia multa de induſtria præterire; non defuere enim, qui leviſſimis argumentis ducti, caliditatis originem vento, putredini, prunis, cineribus, atque hujus generis aliis aſſignarent.

Antequam tamen ſententiam vero propiorem exponamus, viſum eſt & illorum conjecturam afferre, qui idcircò calorem fontibus imprimi crediderunt, quia calidi admodum vapores, atque halitus è ſubjectis mineris elevati, præterlabentibus aquis commiſcentur. Quemadmodùm enim hos vapores ferè ubique obverſari apertiſſimè docent, ità ab effectibus non paucis, qui è Thermalibus aquis habentur, videntur ſatis aptè colligere, calorem omnem ab tenui vapore, halituque pendere. Hinc, uti Pariſienſes Philoſophi adnotarunt, fieri dicunt, quòd ſi in os hujuſmodi aquæ aſſumantur, haud æquè id adurant, ac communis aqua, quam ad eoſdem gradus calidam reddideris. Continuò animadvertunt, & Thermalem aquam non agere eodem modo in materias quaſdam teneras, ut ſunt folia herbarum, quo agit communis aqua igne concalefacta; & magis noctu, quàm interdiù eandem plerumque calere; & ubi aeri exponitur, ægriùs frigeſieri, quàm aqua communis culinari igne fervefacta; & demùm, ubi ignis

*Halitus cauſa caloris aquarum.*

*Idque variè probatur.*

eidem admoveatur, idem ferè ſpatium temporis ad ebulliendum requirere, atque aqua è puteis dulcibus hauſta. Ex quibus apertum fieri conjiciunt, calorem aquæ Thermalis nequaquam oriri à motu particularum eandem componentium excitato ab igne ſubterraneo, ſed ab halitibus calidis, quorum naturæ memoratos eventus ſummoperè reſpondere acriter tuentur.

*Quid in hac ſententia diſpliceat.* Quæ omnia etſi ſatis probare videantur, hanc caleſcentiæ aquarum cauſam non commentitiè aſſignatam fuiſſe, attamen non levia ſunt, quæ eidem nos quoque acquieſcere non ſinant. Primò enim, qui rem paulò diligentiùs expenderit, difficillimè eò adduci poterit, ut credat, ab tenuiſſimo halitu, leni dumtaxat, blandoque, ut metallarii norunt, calore prædito, eoque, ubi multo humore diluitur, ferè omninò inerti, ac veluti emortuo, tantam caloris vim acquirere decurrentes rivos poſſe, ut omnia ferè ex his habeantur, quæ elici ab aqua communi igne manifeſtam ad ebullitionem concalefacta conſueverunt; ut e. c. in coquendis ovis, & deplumandis pullis experimur. Cui rei addendum & illud videtur, tenuiſſimam hanc halituum texturam eſſe in cauſa, ut diù inhærere aquis ſaltem ea quantitate, qua calorem adeò intenſum procreare valeant, halitus iidem non poſſint: idque vel ea maximè ratione, quòd aliàs impervios aquæ mea-

tus

tus, brevì pertransire, atque inde latè dissipari facilè queunt. Prætereà verò memoratorum effectuum ratio ea non est, quæ ab halitibus calidis tantùm peti valeat; cùm aliis quoque causis assignari, fortassè concinniùs, possit. Quo in loco eam calescentiæ rationem considerari velim, quæ ab salium, aliarumque rerum mineralium mixtionibus, atque solutionibus habetur. Huic enim quantoperè effectus iidem conveniant, rem paulò accuratiùs pensitanti patere facilè poterit.

*Calor aquarum ab effervescentia saliū, aliarūq; rerum ducitur*

Intereà, ut id brevibus persequar, visum enim est Thermarum originem aliundè derivari aptiùs non posse, animadvertere libet, quòd cùm inter memoratas incalescentiæ aquarum causas duæ potissimùm sint, quæ veritati aliquatenùs accedant; nempè subterraneus ignis, atque halitus calidi commixtio; verùm ignis subterraneus, aut dubius valde sit, aut non adeò facilè ad Thermarum usque scaturiginem pertingat, halitus verò aquam adeò inalterare nequeat, ut manifestam excitet effervescentiam, atque ebullitionem; proptereà res eò ferè redacta est, ut nonnisi ad effervescentiam adversæ indolis rerum sibi invicem occurrentium ejusdem incalescentiæ causa referri posse videatur. Cui effectui accuratissimè, ac per varia experimenta describendo quia decora ingenia non defuerunt; ideò satis erit in præsen-

tiaruin memoraſſe, facilè hujus caloris originem explicari, ſi, ducto à rebus, quæ arte fiunt, argumento, conſideremus, aquam ſalino aliquo corpore turgentem, dum in mineram aliquam ad opus paratam incidit, eandem cum effervelcentia ſumma ſolvere; atque exindè uti ſatis comminutas mineræ ejuſdem partes aquæ paulatim miſceri, ità intenſum excitari calorem: haud aliter, quàm fieri cernimus, cùm aqua calci vivæ affunditur, vel cùm diverſæ indolis liquores, & pulveres quavis alia ratione invicem permiſcentur.

*Henrici Rochas inventū* Hoc ferè ritu incaleſcere medicatorum Fontium aquas, ut argumenta prætercam, quæ ad id probandum ab auctoribus paſſim afferuntur, certiſſimo demùm experimento deprehendiſſe videtur Henricus Rochas, ac propterea litem hanc penitùs diremiſſe: uti ab ejuſdem Tractatu, quem de aquis mineralibus conſcripſit, capite primo, colligitur. Accuratiſſimus enim hic rerum naturalium inveſtigator, ut latentiſſimam incaleſcentiæ aquarum cauſam detegeret, non conjectura, uti fruſtrà à multis factitatum fuerat, id aſſequi, ſed rem omnem oculis pertractare adnixus eſt. Itaque in Helvetiæ Montibus Thermalis aquæ principium incredibili contentione, atque improbo labore quæſivit; invenitque demùm humorem ſubſalſum, acidiuſculum, ac penitùs frigidum; cui cùm paulò poſt metallica vena præſertim Sulphu-

rea

rea occurreret, effervescentia, atque ebullitio aperta sequebatur. Quod, an protenso veluti digito tandiù exagitatæ rei verum commonstret exitum, genuinamque causam caloris aquarum ostendat, ne in dubitationem quidem revocare ampliùs ausim.

Ad probandum autem ulteriùs rem hanc ita se habere, nemo à nobis meritò postulaverit, ut pronunciemus, quibus salibus turgere aqua potissimùm debeat; & rursùs cujus generis sales, aut quænam alia corpora aquæ eidem in minera occurrere. Satis enim fuerit dixisse, ita cùm subtili sale turgentem rivum, tùm calcinatam mineram esse comparatam, ut sibi invicem occurrendo calorem excitent, atque effervescentiam. Porrò necesse non est determinare, à quibus principiis hic incalescentiæ motus proficiscatur. Sive enim ob violentam partium corporis dissoluti quaquaversùm dispersionem, sive ob celerem, copiosumque unius corporis partium per alterius partes diffusionem, sive demùm ob confusas confligentium corpusculorum impressiones, in quibus partes secundum varias eorum naturas variè modificatæ sunt, id eveniat; abundè rei huic provisum fuerit, ubi appareat per varias dissolutiones, ut præsertim colligere est ab experimentis clarissimi Boylei, de productione mechanica caloris, & frigoris, posse facilè calorem, eumque intensissimum procreari. Cæterùm uti liquores, &

*Quid sufficiat huic sententiæ intelligendæ.*

*Undè ex solutione corporum calor fiat.*

pulveres arte parabiles, qui commixti invicem ebulliunt, atque incalescunt, innumeri propemodùm sunt, atque inter se per gradus variè dissimiles; ita & intra tellurem varia mixtionum genera esse queunt, quæ ideò incalescentiam aquarum promovent, quia talis, ut inquiunt, minera, occurrendo aquæ tali sale imprægnatæ, cum eadem magis, minùsve effervescit. Hinc tùm varii caloris gradus in Thermis, tùm effectus earundem dissimiles iis, quos ab aqua culinari igne calefacta habere consuevimus.

*Objectionis solutio.*

Neque hujusmodi sententiæ obsistit, quod nonnulli in medium afferunt, asserentes naturaliter nullos inter se sales, aliosve succos dissidere; idque tunc evenire dumtaxat, cùm ignem aliqua chymica præparatione experti sunt. Quippè sive ardere in imis telluris visceribus ignem, sive alia quavis de causa acidos quosdam halitus diffundi, atque varia fermentationum genera intra telluris corpus excitari statuamus; illud certum est, innumeras, pro locorum diversitate, præparationes salium, & variorum corporum calcinationes, easdemque longè chymicis præstantiores, uti ab effectibus colligimus, moliri naturam. Quæ deindè omnia satis apta sunt, ubi secundum memoratam rationem sibi invicem occurrant, ad calorem, de quo agimus, procreandum.

*Quid halitibus, ignibusq; dandũ sit*

Quibus positis, non is sum, qui negem calidos

lidos halitus caloris aliquid aquis tribuere posse ; & rursus ullas aquas per subterraneos ignes ( quandoquidem hi multis etiam in locis conspicui sæpenumerò sunt ) incalescere. Verùm uti, usque ad ebullitionem, aquas ab tenuibus, evanescentibusque facilè halitibus alterari haud crediderim ; ita non ægrè concesserim, ideò calidos aliquandò fontes fieri, quòd per canales ab ignibus concalefactos ferantur : dummodò tamen, sicuti hujusmodi loca non semper ardere manifestum est, ita nec aquas secus eadem decurrentes calidas semper esse debere, istius sententiæ patroni concedant.



De

# De vario Aquarum Medicatarum Examine.

## CAPUT V.

*Singulis malis singularia apposita sunt remedia.*

SAtis pellendis Ægritudinibus consuluisse naturam is mecum facilè sentiet, qui ingentem medicaminum apparatum, quibus aut morbis conflictata sanantur, aut in morbos prona corpora muniuntur, sedulò animadverterit. Quòd si aliquandò languido corpori apta satis medela non succurrit, id non naturæ, quæ singulis malis singularia apposuit antidota, sed hominibus imputandum est, qui nondum omnia cognoverunt. Summa propterea præstantissimorum medicorum contemplatio ea semper fuit, quæ remediorum indolem quotidiè altiùs perquireret; inertium, uti vulgus arbitrabatur, rerum texturam tentaret; & ne per discrimina corporum, quæ in iis latent, vires, facultatesque inveniret, pleno laboris examine easdem aliundè scrutaretur. Hinc novum facultati medicæ lumen; tandiù in posterum additamentum suscepturum, quandiù hujusmodi instituto hominum ingenia vacabunt.

*Examen aquarum minera-*

Quapropter, ut ad propositum veniam, non est mirum mineralium aquarum scruti-

nio

nio tot illuſtres viros inſudaſſe: neque enim aut amplitudo remedii, aut virium ejuſdem origo abditiſſima aliud poſcebat. Si enim medicaminis genus, quod pluribus morbis conveniat, exquiratur, incaſſum labor cedet: „Hinc Plinius, gratulari, inquit, humanæ „ſorti ſubit, cùm præter numeroſa è plantis, „atque animantibus præſidia, in ſolis aquis „tàm ſimplicibus, quàm compoſitis vel mul„ta millia ſint ad omnem morborum ex„pugnandum exercitum remedia. Si verò commixtas, implicitaſque, per quas aquæ operantur, cauſas ſectari fert animus, plena res ambagibus eſt. Propterea, ubi ad medicatorum fontium explorandas vires ventum fuerit, nemini dubium eſſe reor, quin exquiſitiore diligentia, ac diuturniore ſedulitate opus ſit, ne fortè inopportunè ægrotantibus præſcribantur. Eademque de cauſa Medicorum Princeps Hippocrates, in Libro de Aerib. Aq. & Locis, num. 6. omnes eos monet, qui integrè artem medicam adſequi volunt, ne negligentiores ſe circa aquarum facultates „cognoſcendas exhibeant. Quemadmodum „enim, ait, guſtu differunt, & pondere, ac „ſtatione; ſic quoque virtute aliæ aliis lon„gè præſtant. Quæ omnia ſi de vulgarium aquarum examine intelligantur, multò magis animadvertenda veniunt, ubi de medicatorum fontium indole intimè, quantum quidem in nobis ſitum eſt, pernoſcenda res agitur

*lium cur à multis inſtitutum.*

*Monitū Hippocratis ſuper aquis medicatis.*

*Aliquibus res nullius ferè laboris visa est aquarum cognitio.* tur. Idcircò sæpiùs obstupui, cùm vidissem permultos, ubi minera aquarum medicatarum statuenda esset, definita quædam, atque, uti pollicentur, certissima contentorum lineamenta depingere, immò & balneares quascunque arte parabiles, quemadmodum non apud veteris modò, sed & apud recentioris Scholæ sectatores videre est, esse docere; non aliter ac si ipsis succorum, lapidum, aliarumque mineralium, ac metallicarum rerum exordiis, & concursibus interfuissent. Non video enim, quemadmodum per simplicem coctionem, destillationem, atque evaporationem, uti rem penitùs absolvere veteres scriptores conati sunt, aut per laudabiliores alias neotericorum conjecturas, subtilissimæ mineralium particulæ in vaporem usque extenuatæ certum adeò vestigium sui relinquere possint, ut quanquam inter se, & cùm cæteris commixtæ, quodque magis est, etiam sine calore facilè evanescentes, tam levi negotio nihilominùs deprehendantur.

*Ordo examinis.* Itaque, licèt fontium metallicorum examen instituere non quaruncunque sit virium, ut tamen ea, qua licet, diligentia tractationem hanc absolvamus, libeat, uti rei magnitudo postulare videtur, paulò altiùs eandem exordiri; perquirendo, quonam artificio ea, quæ medicatas aquas faciunt, detegi queant, ut indè majus facultatibus earundem lumen affulgeat. Quoniam verò, quæ in simplices

aquas

aquas immigrare poſſunt, multa ſunt, viribuſque inter ſe, & textura diverſa; non unius idcircò examinis conatu probè dignoſci poſſe, certiſſimum duco. Hinc primò, quot ea ſint, quæ immiſceri plerumque aquis conſueverunt, deindè, quodnam ex illis in determinato humore inveniatur, perpendendum venit.

*Varia rerum genera miſceri aquis poſſunt.* Rerum aquis miſcibilium genera contemplanti, quemadmodum fusè proſequitur Libavius, comment. Alch. L. 6. C. 1. liquores potiſſimùm, metalla, lapides, terræ, & plantarum radices occurrunt. Porrò ſingula ſpecies ſuas habuere. Liquoribus namque, ſeu congelatis ſuccis, ſal, alumen, nitrum, vitriolum, ſulphur, bitumen; Metallis aurum, argentum, ferrum, æs, plumbum, ſtannum, & antimonium; Lapidibus cryſtallum, pumex, marchaſita, magnes, & hæmatites; Terræ creta, rubrica, ochra, bolus, & terra lemnia ut plurimùm accenſentur. *Radices plantarũ aquas alterant.* Radicibus plantarum etſi non negaverim poſſe aliquandò aquas medicatas aliquid debere, eſt enim ad hanc rem ſpectans locus apud Plinium, Natural. Hiſt. Libro XXXI. Cap. 4. ubi tales, „ inquit, ſunt aquæ, qualis terra, per „ quam fluunt, qualeſque herbarum, quas „ lavant, ſucci; rariſſimum tamen miſcellæ genus eſt, & quod noſtris fortaſsè in regionibus contingere non conſuevit. Prætérquamquod enim plantarum radices altè adeò

non

non defiguntur; multò magis obſtat, rarò iis in locis, è quibus medicati fontes erumpunt, ſaltem apud nos, eas inveniri, &, quod amplius eſt, hujuſmodi eſſe, ut aquam inalterare non queant.

*Integra aqua, eademq; in partes diſcreta, examen inſtituitur.*

Omnia jam enumerata rerum genera, quia rarò, aut nunquam aquas ſeorſim inficiunt, ideò multiplici examine tentandus eſt humor, ut deindè, quidquid illi permixtum eſt, per varia experimenta certiùs appareat. Duplex hac de cauſa aquas rimandi ordo. Alter integra aqua, conſumpta alter, ſive à contentis qualibet arte ſecreta, inſtituitur. Porrò aquam integram exploranti alia in ipſamet aqua, alia extra eandem conſideranda veniunt. In aqua, colore, odore, ſapore, tactili qualitate, contentis, pondere, & viribus humoris indoles perquiritur. Extra aquam verò ingenio loci, ſcaturigine, canalibus, alveo, ſedimentoque in naturæ ejuſdem cognitionem ducimur.

Integri humoris examini aliud ſuccedit, quo conſumpti ejuſdem reliquias ſcrutamur. Id vel ignis ope fit, uti evaporatione, decoctione, atque deſtillatione; vel ſine ignis adminiculo, nimirùm inſolatione.

*Cur adhuc difficilis cognitio aquarum.*

Quoniam tamen hæc omnia, etſi plurimùm in ſe veritatis continere videantur, in quorundam fontium inveſtigatione ferè incaſſum cedere queunt; quòd nempè, ubi ſubtiliſſimis tincturis, atque paſſim avolare nitentibus

par-

particulis aquarum vis innitatur, eædem deprehendi minimè possint, cujus rei satis magnum argumentum sunt summæ Veterum scriptorum dissensiones super variis aquarum metallicarum contentis; ideò Recentiores ad alias artes solertissimè confugerunt, inauditoque artificio, per varias præcipitationes, colores de industria inductos, chymicosque alios conatus, adnixi sunt exprimere veritatem. Neque, si vera fateri licet, per hoc inventum exiguam sibi industriæ famam confecere. Utcunque enim se res habeat, id certum est, quemadmodum expertissimorum virorum rationes indè ductas apertè inficiari neminem posse, ita multùm chymico examini, hoc saltem titulo, fidendum esse, quòd ope ejusdem, integra aqua, subtilissimæ etiam particulæ, ac facilè evanescentes tincturæ ad trutinam revocari aliquatenùs videntur. Summum indè inter neotericorum, veterumque diligentiam discrimen. Apertum enim est, hosce, utcunque de crasso sedimentorum corpore judicemus, cùm aut igne, aut quovis alio calore uterentur, subtilissimorum corpusculorum aquis innatantium naturam nullis satis probabilibus conjecturis assequi potuisse.

*Ordo rimandi aquas à neotericis institutus.*

Quid autem de methodo posteriore sentiendum, ut per compendia rem omnem absolvam, ab experimento colligendum est. Neque experiundi ratio in arcto sita. Prostant pulvis Gallarum, Myrabolani, Fol. Tea,

Tor-

Tornasolis, tinct. Rosæ rubræ exsiccatæ, Bresilium lignum, Coccinella, Syrupus violatus, Acetum destillatum, Oleum tartari per deliquium, dissolutio Cinerum clavellatorum, Argentum in aqua forti solutum, Spiritus Cornu Cervi, Urinæ, Salis Armoniaci, Vini, Nitri, Salis, Mercurius sublimatus in aqua, Antimonium in spiritu Salis soluta, atque alia hujus generis: quorum unumquodque, ut decet, paratum, si aquæ infundatur, non est difficile à colore recens inducto, aut à qualibet secretione, ac præcipitatione colligere, quid illi priùs imixtum fuerit. Hinc si decoctum, puta, Gallarum in aquam ab alveo suo nuper eductam imitatur, ac nigredo cum vitrioli, sive atramenti odore consurgat, ambigendum non est, quin subsit Vitriolum. E contra verò si humor albescat, imbutam Alumine aquam designabit. Sic, ubi oleum tartari per deliquium, vel acetum acerrimum destillatum aquæ infusum fuerit, si Sulphur in aqua scateat, aliqua sulphuris præcipitatio habebitur. Nec segniùs communis Salis præsentiam agnoveris. Quippè ubi argenti in aqua forti soluti modicum medicatæ aquæ admoveatur, præsente Sale, ingentem aquæ lactescentiam exoriri, apertèque Lunæ calcem præcipitari, deprehendes. Eodem planè ordine, ne nimius sim, in reliquis agendum est.

*Quomodo noscas Vitriolũ;* *Alumẽ, & Sulphur;* *Sal commune.*

Cæterùm, his licèt ritè persolutis, polliceri

ceri

ceri ne quid certum, atque omnibus omninò numeris absolutum de aquarum mineralium indole quis valeat, si seriò quæratur; multùm ambigo, quin innumeris sæpenumerò de causis vera earundem analysis claudicet, atque dum sensus fallaci rerum imagine decipiuntur, interea genuina mixtionis ratio aliquatenus lateat. Hinc Seneca, Quæstionum Naturalium Libro Tertio, de aquis verba facturus ad Lucilium suum: nunc, inquit, ,, ad rem seriam, gravem, immensam post ,, meridianas horas accessimus. Enimverò res seria, gravis, immensa aquarum exploratio est; præsertim si eam consideremus, quæ ad Medicos spectat. Ut enim unum, aut alterum eorum, quibus sæpè sæpiùs metallici fontes imbuuntur, animadvertam; quot, quantæque difficultates occurrunt, ubi aliquid, puta, de salium præsentia statuendum est? Primùm illud animo obversatur, quod Chirurg. Magnæ P. 3. Lib. 2. Paracelsus, Medicinæ Principis vestigiis insistens, habet: Sa- ,, lium, inquit, plus centum species in corpore ,, nostro inesse, ignorandum non erit. Quod uti ille de salibus animalium, perindè ego de salibus telluris pronunciari posse, vehementer suspicor. Continuò productio salium majus nobis negotium facessit. Cùm enim, uti capite 5. de Fontibus Medicatis Angliæ habet eruditissimus Linster, plantarum germinantium more quodam analogo salium ge-

*Super hoc examine judicium.*

*Difficultas cognoscendi varias salium species.*

neratio contingat; lentèque admodum procedat, quis non videt, quæ turbæ ſuper immaturorum ſalium indole ſtatuenda excitari valeant?

*Figura ſalium.* Adde, tumultuaria concretione in cryſtallos (fortaſſe enim non aliundè certiùs de ſalium natura judicamus) ſæpè eas figuras non repræſentari, quibus ſales verè præditi ſunt. *Mutatio eorũdem unde cõtingat.* Quod verò magis eſt, & illud ſæpè contingit, ut ſi ſal aliquis, uti ſal communis, vi ignis in ſpiritum attenuatus, ſive ferrum, ſive cuprum corroſerit, tunc figuram mutet, alienique haud ſatis cogniti ſalis imaginem præferat. Neque illud novum eſt, quòd nempè levioribus etiam de cauſis textura ſalium in dies mutetur, aliique ad alia munia obeunda accomodati evadant. Propterea & fieri aliquandò poſſe, ut ſal, puta, commune nudis in igne fuſionibus, in aqua ſolutionibus, & coagulationibus repetitis, in terram inſipidam abeat, auctor eſt præclariſſimus Borrichius in Or. de ortu, & progreſſu Chymiæ pag. 82.

*Miranda varietas in Vitriolo.* Eadem de vitriolo fateri neceſſe eſt; in quo illud vel maximè mirandum eſt, quòd licèt permultis in aquis verſetur, ferè ab nullis maturum educi queit. Id & Pariſienſes Philoſophi poſt examen centum ferè fontium experti ſunt: adeòut non deſint, qui ſuſpicentur, inanes eventus jactari ab iis, qui ſe ajunt hunc ſalem ex quibuſdam fontibus apertè

tè deprehendisse. Adhuc tamen & decipi facilè quisque potest, ubi de ejusdem vitrioli speciebus agatur, ob ingentem ejusdem salis varietatem. Id vel ex effectu satis colligitur. Siquidem Spiritus Cornu Cervi cum viridi vitriolo commixtus vix ullam effervescentiam facit; cum albo haud modicè intumescit; cum Romano verò effervescit vehementissimè.

Haud secùs examen, qualibet diligentia institutum, succedit quo ad metalla. Prætterquamquod enim per soluta tantùm principia aquis insunt, evenit aliquandò, ut aquæ subtilissima nescio qua metalli portione imbuantur, quam oculis intueri, post quoslibet conatus, difficillimum est. *Metallorũ mixtio latentior est reliquis.*

His accedunt innumeræ metallorum varietates, quas egregiè sub Antimonii exemplo descriptas ab celeberrimo Boyle in Tentaminibus Philosophicis de infido experimentorum successu, videre est. Sicuti enim, ait, (sumpto à vegetabilibus, mox ab animalibus argumento) Rosarum aliæ rubræ, & damascenæ, ut ut quæquæ rosæ sint, multùm inter se diversæ sunt; vel sicuti Pomum aurantium dulce, & acidum tàm sibi invicem, quàm Chinensi sub eodem nomine sunt dissimilia: rursùs verò quemadmodum Canis Venaticus, Gallicus, Hispanicus, Vertagus, Molossus, Aquaticus, &c. variis qualitatibus in communi specie discriminantur; ità nec *Variæ unius metalli species.*

E 2 om-

omnia, quæ in mineris, vel officinis habentur, antimonia iiſdem qualitatibus pollent, etſi commune antimonii nomen, naturamque ſortiantur. Hinc doctiſſimè, uti paſſim conſuęvit, auctor idem ſubdit; hoc intereſſe inter Vegetabilium, Animaliumque varietatem, & eam, quæ in foſſilibus habetur, quòd illa oculis ex peculiaris ſtaturæ, formæ, coloris, aliorumque nota deprehendi facilè poſſit: ſecùs verò contingat in mineralibus; in quibus non modò hæc ſigna difficillimè apparent, quia haud ſatis apertè iiſdem indita fuerunt, verùm ſæpè ex duarum, triumque ſubſtantiarum permixtione eò res redigitur, ut indoles earundem internoſci minimè queat. Apertum enim eſt, matricem, ſive uterum, in quo mineralia generantur, non ſemper animalis utero ſimilem eſſe; quem involucra quædam adverſus extraneæ materiei ingreſſum muniunt. Quippe cùm mineralia in telluris gremio procreentur, ipſorum conceptacula ſuccis aliis, halitibuſque diſſimilibus patent: indèque fit, ut variæ naturæ mineralia in unam, eandemque maſſam omninò concreſcant, quæ poſteà haud facilè ſeparari, immo ne poſt fuſionem quidem dignoſci poſſunt. Quo poſito, quantò difficilius ſit, hæc in vaporem uſque ſubtiliata deprehendere, ſatis explicari nequit. Neque tutum ubique ad ſedimentorum inſpectionem confugere. Sæpè enim incerta, & fallax conjectura, quam

*Cur mineralia ſimplicia non ſint.*

quam ab horum investigatione desumimus, est. Siquidem, cùm crebrò contingat, quemadmodum præclarè animadvertisse audio Jo. Jacobum Franciscum Vicarium in novo Hydrophilacio, ut sedimenta eadem, quæ ab aquis nonnullis nunc lactea, nunc sub alia forma deponuntur, nonnisi magisteria ab aeris accessu, vel ob spiritus etiam volatilis secessum præcipitata reputari debeant; non video quodnam satis validum indè contentorum argumentum haberi queat. *Sedimẽtis sepè fallimur*

Neque omittere fas est, aquas minerales ipsas, utut accurato aliquo examine earum indoles cognoscatur, singulas sæpenumerò in horas mutari facilè posse, varièque soluta mineralium principia secum vehere, uti in quamplurimis fontibus evenire scimus. Horum enim aquæ adeò conspicuas alterationes aliquandò subeunt, ut si eodem tempore inexploratò assumantur corporibus noceant summoperè. Propterea viderint alii, an constans contentorum aquæ cognitio ibi esse queat, ubi summa est subjectæ mineræ, mixtionisque vicissitudo, atque inconstantia. *Aquarũ mutatio.*

Quæ cùm vera penitùs sint, aliaque hujus generis, modis innumeris, contingere valeant; quis audeat id sibi arrogare, ut contendat posse analysim Fontium Metallicorum absolutissimam institui; atque indè nihil esse adeò abditum, quod per supra enumeratos labores non innotescat? Igitur, ut hæc tandem missa fa-

 ciam,

ciam, ad hanc difficultatem examinis ſummam patefaciendam, liceat unum è multis excerpere, ac propterea exemplo ſint Spadanæ aquæ: de quibus inter recentiores ipſos tot, tamque diverſæ ſententiæ circumferuntur, atque adeò ſuper natura eorum, quæ fonti eidem inſident, ſibi invicem ſcriptores fidem adimunt, ut plerumque rei huic tenebras offudiſſe potiùs, quam veram, integrámque aquæ ejuſdem naturam detexiſſe videantur.



De

# De Minera Thermarum Patavinarum.

## CAPUT VI.

EXplicato, unde Euganeorum Montium fontibus aquæ, minerarum mixtio, atque calor adveniant, & quo simul ritu mineralia quælibet aquas inficientia pro viribus nosci queant; animadvertendum restat, quęnam illorum indoles sit, ideſt quorum præcipuè mineralium viribus imbuantur.

*Veterum ſcripta conſulenda.*

Quod quidem antequam per ea, quæ multiplici examine colligi potuerunt, abſolvam, habendam crediderim reverentiam veterum ſcriptorum, eorumque graviſſimorum monumentis, qui variis in locis prolixa oratione rem eandem ad trutinam revocarunt. Nullum tamen, vel minimum inſtituto lumen inde acceſſurum ex eo deprehendi poterit, quòd, cùm in re ardua, & quam per conjecturam viſus plerumque, olfactus, effectuumque aſſequi conati ſunt, adverſis inter ſe opinionibus decertarint, & ſua cuique in judicando ſit auctoritas; eò redacta res eſt, ut maximis potiùs implicitam difficultatibus, quàm

*Quæ inter ſe ſummè contraria.*

in promptum medentium usum explicatam, præclarissimi viri jure censuerint. Hoc ita se habere, vel uno Aponensis Balnei exemplo in medium prolato, unusquisque facilè intelliget. In quo, collatis invicem plurium scriptorum sententiis, oppositis plerumque consiliis fontis hujus contenta explicasse, nemo inficiabitur.

*Georgii Agricolæ opinio,*

Itaque, ut à Georgio Agricola exordiar; putavit hic aquas Aponi ita se habe- „ re, ut Alumen, Sal, & Sulphur contine- „ rent. Præter hæc autem nullum aliud „ metallum tribuendum iisdem esse conten- „ dit.

*Montagnanæ,*

At Bartholomæus Montagnana magni no- „ minis Medicus, & Medicinæ scriptor, A- „ ponenses aquas à prædominio, ut vocat, „ Sulphureas, & quibus Calcis nonnihil in- „ sit, facto per destillationem experimento, pronunciavit. Quibus deindè contentis, effectus hujusmodi Thermalis aquæ omnes diligenter adscribere conatus est.

*Ludovici Pasini*

Cum Montagnana Ludovicus Pasinus, olim Patavii Medicam artem summa cum laude professus, videtur aliquo modo convenisse. Hic namque, odore, & gustu exploratoribus usus, Sulphureum quidem corpus, „ & Calcem subesse iisdem in aquis credidit; „ sed addendum his Cinerem, existimavit.

*Menghi Faventini,*

Sed Mengho Faventino, in tractatu de balneis, res aliter se habere visa est. Quippè

„ in

„ in qualitatibus aquam hujus balnei claram „ esse, non excessivè calidam, & salsam, „ ab omni unctuositate, & citrinitate pur- „ gatam, inquiens, in mineris de Sale, vel „ Nitro, & de Alumine magis, & de Cine- „ re, ut ipsissima verba transcribam, parti- „ cipare, nec à Sulphure immunem prorsùs es- se, nescio cujus examinis argumento innixus asseruit.

Porrò Franciscus Frizimelica Patavinus, atque in Patrio Archilycæo clarissimus medicinæ professor, in Libello de Balneis metallicis artificio parandis, capite secundo, species metallicarum aquarum, ipsarumque signa recensens, hujus quoque balnei mineram „ in medium affert. Ait itaque, in Aponita- „ nis aquis plura metalla sunt admixta, „ sed maximè dominatur Sulphur; quamvis „ sit admixtum Alumen, Nitrum, Calx, „ & Cineres. *Francisci Frizimelicæ,*

In horum censum referendus videtur doctissimus Michael Savonarola; qui ex sapo- „ re Aluminosum, Salsumque Aponi Bal- „ neum, visu verò & Sulphure, & Cinere „ præditum, satis sibi constitisse testatur. *Michaelis Savonarolæ,*

Demùm, optimè de re medica meritus, Gabriel Falloppius Mutinensis, repetitis, uti fertur, experimentis edoctus, alium sibi contentorum ordinem, numerumque innotuisse, asserit. Siquidem Aponensis balnei a- „ quis ex prædominio Salem inesse, in- *Gabrielis Falloppii,*

„ quiens

„ quiens, Calcarium etiam Lapidem, qui „ coctione vertitur in calcem, ac denique „ Sulphuris vaporem evidentem suppetere, „ auctor est.

*Andreæ Baccii,* Doctissimus verò Andreas Baccius, in tract. de Thermis, lib. quarto, c. 12. postquam memoratum Falloppium non semel in minera hujus fontis assignanda errasse, ostendere adnixus est; recensens Aponense Balneum in numero aquarum Sulphuratarum, calida„ rumque in secundo gradu, ait, idem à „ prædominio tum Sulphureum esse, tùm „ Salsum, Alumine subindè, Nitro, Cine„ re, & Calce ex adustione particeps.

*Joannis de Dondis,* Veruntamen ab horum omnium sententiis discrepans Joannes de Dondis, contenta ha„ rum aquarum Gypsum, Salemque esse contendit. Ubi verò ad Sulphuris examen „ ventum est; non arbitror, inquit, has a„ quas aliquid habere Sulphureum corpu„ lentum: & si fortè ignei aliqui Spiritus cum „ iis scaturiant, qui de natura sint Sulphu„ rei, dantes odoris ejus phantasiam quan„ dam, hi confestim de aquis exhalant.

*Bartholomæi, à Clivolo.* Huic conjecturæ subscripsit Bartholomęus à Clivolo Medicus Taurinensis, de Balneorum naturalium viribus, libro quarto. Quo in loco, & habendam Joannis de Dondis dictis fidem, ait; & aliis rationibus in eam sententiam se quoquè adductum fatetur, ut e„ xistimet, à Sulphure immune omninò A-

„ po-

„ ponense balneum statuendum esse. Quoad reliqua tamen contenta, aliter aquarum earumdem indolem descripsit. Namque Alumine, Sale, Cinere, & Nitro, ductus aspe-„ ctu, odore, & sapore balnei, idem imbu-„ tum esse, suadere adnixus est.

Eadem alii quoque Thermarum Patavinarum descriptores, ordine contentorum, graduque variè mutatis, tradiderunt. Horum singulas conjecturas recensere, plenum laboris, & tædii; cùm plerique ea mineralia immixta Thermis hisce esse voluerint; quæ non ratione, vel experientia, sed, levissimo argumento, ex operationibus adnotarunt. Cùm enim, pro varietate corporum, ætatum, morborum, & temporum anni, thermalem eandem aquam diversas prodire in actiones, nemo sit, qui experimento non deprehenderit, facilè conjectari quisque potest, quantum eorum conjecturis fidendum videatur. *Plures quoque alii de hac re.*

Cæterum non leviores iis, quæ de Aponensium aquarum examine allatæ sunt, de reliquis quoque balneis, quæ initio operis descripta fuere, controversiæ occurrunt. Præterquam quod enim plerique ad alia omninò, ac ferè inaudita pridem mineralium genera ex ingenii libidine confugiunt; adhuc in eo plurimùm dissentiunt, quòd eadem contenta alicui ex enumeratis fontibus à multis tribuuntur, rursùs eadem data opera à totidem aliis prorsùs oppugnantur: adeò ut legentis *Neque in descriptione aliorum ullus consensus est.*

men-

mentem inani litigio defatigent, & aquarum simul viribus caliginem sæpissimè offundant.

*Scribendi institutum.* Ut ergo in tanta libertate dicendi, quæ non semel repetitis experimentis deprehendi, doctorum, atque intelligentium virorum judicio promptiùs submittam, libebit claritatis, brevitatisque causa quædam prænotasse; quæ primo in limine examinis difficultatem minuendo, laboris simul, atque, ut arbitror, erroris argumentum plurimùm subtrahent.

*Fontes omnes Patavinos ad unũ reduci posse.* Cùm itaque Medicatos hosce septem fontes diligentissimè, uti momentum rei poscebat, contemplarer, locique ingenium, singulis, quæ circa occurrunt, pensitatis, animadverterem; in eam demùm sententiam provectus sum, ut crederem, omnem aquarum hinc, atque indè exorientium proventum, sub unius fontis nomine non ineptè accipi posse. Hunc animum non varii caliditatis, non salsedinis, aut fętoris gradus, non subjectæ telluris color, non erumpendi modus, atque ipsa diversorum argumenta effectuum excusserunt. *Secundũ gradum inter se differũt.* Instituto enim seorsim fontis cujusque examine, cùm eadem contentorum signa passim ob oculos mihi versarentur, unum, per quod inter se differrent, novisse licuit, quòd nempè secundum metallicæ mixtionis gradum dissimiles essent: contentis iisdem, at diversa dumtaxat mensura, se se ubique offerentibus.

bus. Hac de causa videre mihi visus sum modicæ magnitudinis mineram, sive matricem, neque enim ingens ambitus est, quo veluti communi termino balnea enumerata clauduntur; ex qua erumpentes circùm aquæ, quidquid habent metallicarum virium, haurirent, ac deindè pro diversitate locorum variè ad telluris superficiem emergerent. Factum indè, ut balnea eadem, licèt unius mineræ mixtionem subeant, non eadem mensura mineralibus succis imbuantur. Cùm enim non iidem ubique meatus, non eadem proclivitas loci, tellurisque contextus sursùm eluctantibus aquis contingant; aliæ facilem, brevemque aditum nactæ, momento ferè temporis prodeunt: aliæ iterùm aut prolixo itinere, aut variè inter saxa impedito subtus tellurem emenso, tandem lentis effugiis in aperta prosiliunt. Multum propterea mineralis mixturæ hærere prioribus, dicendum est; has verò plurimum illorum per longas telluris ambages posuisse, quæ in ipso mineræ transitu susceperant. Addendum & illud, aquas nempè pluribus de causis vario temporis intervallo supra mineras immorari, variè quoquè, ut fieri solet, ob inæqualem in minera salis proventum, salibus imbui; ac propterea, secundum cùm moræ, tùm solutionum varietates, dissimiles saturationis gradus in aquis iisdem deprehendi. Ex quibus, nisi reliqua obsistant, colligi posse judico, nul-

*Undè eorundem varietas oriatur.*

nullum, nisi quoad contentorum quantitatem, inter hos fontes discrimen intercedere.

Neque obstat, eum ordinem ex naturæ instituto aliàs servari, ut singulis fontibus medicatis seorsim erumpentibus quædam misceantur, ab subjecta, & singulari minera in aquas immissa; quorum vi diversam omninò indolem nanciscantur. Quippe utcunque id aliquibus aliis in locis (nec enim mihi desunt exempla aliorum balneorum eodem modo se habentium) contingat; his certè in fontibus, quos inter ea communio intercedit, ut crebrò eundi ordine inverso, eadem aquæ mineralis quantitas per alios, dissitosq; meatus emergat, prioribus exsiccatis, statui nullo modo potest. Nec profectò modus inveniretur designandis contentis eorum fontium, qui inter memoratos passim obversantur. His namque omnibus si cultus, uti in cæteris contingit, adhiberetur; nullus dubito, quin balneorum, usui medicorum præclarè inservientium, numerus plurimùm augesceret. Id omni ex parte veritati consonum esse, is vel facilè concedet, qui eo in loci ambitu, in quo septem memorata balnea sunt, erumpentes passim rivulos calentis aquæ, sparsas circùm sine nomine lacunas, neglectaque, aut vetustate corrupta balneorum loca animadverterit. Et licèt priorum fontium propagines, aut conceptacula dilabentis ab iisdem aquæ vul-

*Multis in locis id evenit.*

*Cæterùm hi fontes essent propè innumeri.*

vulgò censeantur, hoc nihilominùs nemo negaverit, deprehendi in iis quoquè crebras inferna de parte scaturientis humoris notas: aperto satis indicio, ibi quoquè sursum eluctantium aquarum conatum aliquem esse, ac propterea non pauca, nec prioribus dissimilia fontium rudimenta eodem in loco statuenda videri.

*Cur plures videantur*

His ex eruptionum motibus, vicibusque, quas à primo horum fontium exortu ad hæc usque tempora, meatus telluris vi conscendentis aquæ, aliisque de causis, variè diducti, obcæcatique assiduas fecerunt, intellectu arduum non est, unum ferè esse fontium, de quibus agimus, principium; quos deindè itineris ordo, ac dispar substantia telluris hinc, & indè pluribus, variisque scaturiginibus leviter immutarint. Neque, sive id ex præscripto naturæ, sive casu contingat, modicum indè ægrotantium corporibus levamen. Quippè veluti per gradus remissæ singulis in locis thermalis aquæ vires, viribus balneantium variis, morborumque speciebus mirum in modum per occasiones aptantur.

*Integræ aquę examen.*

Quibus positis, ut examini propiùs accedens, instituto aliàs proposito insistam, quid inprimis ab integræ aquæ scrutinio collegerim, in medium afferre constitui. Et primò quidem, nulla artis ope usus, naturales notas, colorem scilicet, odorem, saporem, qualitates tactiles, contenta, pondus, effectusque animadverti.

Ab

*Quid color ostẽderit.* Ab colore exordienti limpidus ferè humor, diverſo licet claritatis gradu inſtructus, ſeſe obtulit. Nec difficile captu fuit, quantò magis contentis ſaturaretur, tantò eundem ab communium aquarum luciditate diſtare. Nulla tamen aperta ſatis ex colore contentorum notio haberi ulla arte potuit: niſi fortaſsè, quà uberiore foſſilium proventu fons turget, aquæ ſubturbidæ ſpeciem quandam, in qua tenuis aliquis ſuccus per minima ſolutus fuerit, ſæpenumerò repræſentare dixeris.

*Quid Odor:* At odore ulteriùs perventum eſt. Siquidem cùm grave quiddam, fœtidumque, & aliquibus in locis capiti nonnihil noxium, indè expirare intelligerem; facilè eò perductus ſum, ut, reliquis examinum conatibus aliud non ſuadentibus; exiſtimarem ſulphureo corpore aliquo aquam imbutam eſſe. Ad hæc cùm ferè ſtatim, ut in tenuibus ſpiritibus evenit, odor idem immutaretur; minimè ambigendum cenſui, quin in paulò ſubtiliore ſubſtantia momentum illius omne verteretur.

*Quid guſtu detectum;* Continuò, guſtus organo ſubjectus eſt ſapor; nec quidquam præter ſalſedinem aquæ, in qua modicum ſal marinum ſolutum fuerit, non abſimilem, deprehenſum eſt. Salem indè ſubeſſe cùm ſuſpicarer, fixum eundem plurimùm ſtatuendum propterea intellexi, quòd ſalſedo non modò ocyùs non exoleſceret, ſed

nullo

nullo alio conatu, ne admoto igne quidem, ita minui possset, quin potiùs plurimùm augeretur. Ut autem hic sapor variè in hisce balneis intenditur; ita in B. Virginis fonte adeò remittitur, ut vix deprehendi queat.

Quo verò ad tactiles qualitates, haud modicè asperas aquas facilè quisque cognoscet. Hinc si hoc humore manus abluas, æquè contrahentur eædem, atque exasperabuntur, ac si aquæ lavacro, in qua nitrum, alumen, vel sal solutum adsit, usus fueris: aperto sanè argumento, aut aliquo istorum succorum, aut multis simul fontes hosce turgere. Sumptum & indè fortassè ab antiquis scriptoribus consilium afferendi, nitro, atque alumine imbutos præsertim esse. Verùm quia non modò alumini, & nitro, sed & aliis succis rei hujus causa æquè assignari potest; prætereàque nulla in aquæ sapore stipticitas, nullum reliquis in experimentis aluminis vegistium deprehensum est; non immeritò indè conjectandum videtur, asperitatem omnem ad aliorum salium mixtionem esse referendam. *Quid tactilibus qualitatibus;*

Ad contentorum inspectionem quod attinet, nihil fermè animadversione dignum obversatur. Siquidem præter id, quod in coloris notis memoravimus, aliquibus tātùm temporibus prope scaturiginem farinaceo quodam pulvere modicè admodùm respersum humorem, licet id in singulis balneis non eveniat, cernere da- *Quid cōtentorū inspectione.*

 tum.

tum. Id ubi actum ad inferiora, secretumque fuerit, cuicunque examini subjiciatur, nihil aliud præsefert, quàm tenuissima arenularum, terræque corpuscula, intra tellurïs meatus aquis immixta; quæ humoris motu intercepto, in subjectas partes suo pondere collabuntur. Versicolorem pelliculam collecto humori obductam vix una, aut altera vice deprehendi: quæ tamen nullo ferè, nisi oculorum, judicio subjici potuit.

*Pondere.* Pondus si spectes; horum fontium aqua gravior est ea, quæ ex communibus fontibus hauritur. Idque non solum ex segni incalescentia colligitur, dùm tamen naturalem calorem posuerit; verùm etiam magis apertum fit, ubi corpora aliqua in aqua eadem immergantur. Etenim e. c. cylindro ligneo in his aquis, ac deindè in communibus injecto, deprehensum est, multò minùs in prioribus, quàm in postremis descendere. Intellectu propterea facillimum est hos fontes corpora aliqua terrestria, puta sales, continere; eòque majore proventu, quò magis demissum lignum sustinetur. Præterire tamen silentio non decet, secùs rem in B. Virg. fonte contingere; cujus aqua cęteris adeò levior est, ut non modò indè conjicere possimus, crassas particulas haud multas eidem inesse; sed & suspicari subsit, volatilia haud pauca corpuscula ibidem inveniri, quorum causa ipsius interstitia ampliora aliquatenùs fiant.

His

His demùm conjecturæ, quæ ab effectibus desumi solent, accensentur. Cùmque horum fontium aquæ abstergere, attenuare, incidere, expurgare, adstringere, siccare, à putredine vindicare, roborare, prætereàque ventrem aliquoties subducere, sitim excitare, pituitosos succos detrahere, ædemata discutere, cutim asperam reddere, scabiem, atque alia hujusmodi curare consueverint, multiplici exindè infertur argumento, salè aliquo, ad salis communis naturam accedente, præditas esse. Ad hæc autem cùm & discutere, emollire, pulmonibus prodesse, nervorum affectibus balsamicè mederi, paralysi, spasmis, tremoribus succurrere, steriles uteros fecundos facere, nec non, ubi ineptè adhibentur, replere haud leviter caput valeant; sulphuris indè præsentiam non inconsultò arguimus. Atque hæc ferè sunt, per quæ integram aquam, nulloque artificio subactum perpendimus. *Effectus quid significet.*

Succedit alterum examinis genus, quo rursùs, integra aqua, ac simùl in partes discreta, contentorum natura diligentiùs perquiritur. Quo in munere obeundo ne fortè aliquid hisce in Thermis lateat, quod per notas nuper allatas se non prodiderit, abs re non fuerit, post peculiaria horum fontium mineralia, cetera, quæ immigrare in hujusmodi aquas nonnunquam consueverunt, per genera saltem, contractaque oratione recen- *Agendi ordo.*

ſere. Ideòque primùm, quæ potiſſimùm ad Spiritum, Sulphur, & Sales referuntur, deindè verò aliqua ſuper Vitrioli, Nitri, Ferri, Æris, & præſertim Aluminis præſentia, delibabimus.

Quod antequam præſtare aggredior, animadverti vehementer velim, me hìc ad intricatiſſimam ſalium, aliarumque metallicarum rerum hiſtoriam, atque eorundem generationis ordinem deſcendere de induſtria noluiſſe. Idque cùm quia, ſi ad hæc prævortiſſem, haud decorum erat ſtare veluti in limine, ne opus mutilum videretur, ac propterea extra propoſitæ tractationis inſtitutum evagari neceſſum fuiſſet; tùm quoniam rem hanc tot, tantiſque difficultatibus impeditam, ac variè adeò à ſcriptoribus pertractatam intelligo, ut ſatius eſſe videatur, eam, quà fieri poteſt, conſultò declinare, atque fine carentem diſputationem aliis relinquere. Satis itaque fuerit in præſentiarum, ultimis mixtionum cauſis omiſſis, effectus præcipuos contentorum animadvertere, id eſt, quid poſt injectos aliquot liquores hiſce in Thermis ſit conſecutum, cujuſnam generis ſales in iiſdem lateant, quid ſedimenta ritè pertractata oculis exhibeant, atque alia his ſimilia. Neque enim arduum futurum remur, ſubtilioribus quæſtionibus relictis, quod ad rem noſtram potiſſimùm facit, conjicere, quænam ea ſint præcipuè,

quæ

quæ hosce fontes inalterent, ut demùm conjectura, si fieri poterit, laudabiliore de eorundem viribus judicium ferre valeamus.

Itaque ut, ordine rem omnem perstringendo, spiritum aquarum inprimis attingam, jam extra omnem ferè dubitationis aleam positum videtur, aquis medicatis omnibus portionem aliquam spiritus insidere; uti eruditè nuperrimus salubrium aquarum mineralium Descriptor ostendit. Cujus autem naturæ sit, licèt explicatu difficillimum videatur, nihilominus haud inconcinnè ipsius præsertim universalis spiritus, subterranei, acidi soboles dicitur. Hujus initium ex eo ducere visum est, quòd nempè vel ab pinguibus corporibus in telluris imo incensis expiret, vel, quoniam subterraneus ignis, maximè ob defectum ventilationis, & pabuli quantitatem, apud permultos ingentem patitur difficultatem, subtiliore alia ratione, atque abdito aliquo fermentationis opere eliciatur. Cujus portio ubi in prætereuntem aquam irrepserit, est in causa, ut aqua eadem in quædam corpora, sed præcipuè in immaturas, aliasve metallorum venas offendens, easdem faciliùs solvat, solutasque, atque satis jam comminutas demùm secum in apertum protrahat. Igitur, uti spiritus istius, cujus in hujusmodi locis ingentem copiam suppetere minerarum exploratores inprimis animadvertunt, præsentiam his in Thermis inficiari non decet; ita eun-

*Spiritus aquarũ natura.*

*Thermæ hæ spiritu non carent.*

dem apertè deprehendere difficile penitus, atque arduum exiſtimaverim. Præterquam quod enim ob fervorem aquæ, & decurrendi ordinem magna illius portio ſtatim diſſipatur, & evaneſcit facillimè; non deſunt plurima alia craſſa contenta, quibuſcum de more coaguletur. Quæ etiamſi ſpiritum hunc omni adhibito ſtudio exquirentibus adverſa plurimùm non eſſent; ea demùm ratione incaſſum labor concederet, quòd ob incredibilem ipſius ſubtilitatem, mobilitatemque, nullis vinculis coerceri poſſet. Cęterùm ſummè credibile eſt, tenuiſſimas alias particulas eiſdem fontibus ineſſe, quas non ineptè ad ſubjectæ mineræ naturam præſertim referremus. Quemadmodum enim ab effectibus cùm naturalibus, tùm per artem inductis ſubtiliſſimæ hujus ſubſtantiæ portio patefit; ita fieri minùs vix poſſe videtur, quin ubi in minera ob ſalinæ aquæ appulſum effervefcentia ingens excitatur, multæ ejuſdem particulæ ſummè attenuentur; non aliter, ac cùm ignis adminiculo nos quoque eò corporum non paucorum texturam redigimus, ut & mole minima fiant, & ad avolandum ſummoperè accommodata.

*Variè in iiſdē reperitur.* Quo in loco animadvertendum eſt, ſingulis hiſce in fontibus exiguam tenuiſſimæ hujus ſubſtantiæ portionem ſtatui poſſe; in horum autem cenſum B. Virginis aquam referri minimè debere, utpote quæ tenuiſſima mineræ

por-

portione ſatis imbuitur, uti præ cæteris ex diſcrimine ponderis, & ſaporis, ex varia in infuſos liquores actione; atque præſertim ab effectibus quotidiè colligitur. Hinc ſatis notum hunc laticem aſſumentibus, quantò faciliùs meatus corporis idem trajiciat, Thermopotatione prope fontem ipſum inſtituta, quàm ſi in ægrorum commodum aliquò aqua tranſferatur.

Sulphur quod ſpectat, vix dubitandum cenſui, quin hujuſmodi ſuccus Patavinos Fontes omnes inficiat. Neque ſumma ſine ratione eò perductus eruditiſſimus Baccius videtur, ut in opere de Thermis, Libro IV. Capite 2. pro adæquata materia Thermarum Sulphur aſſignaret. Utcunque enim hoc Baccii dictum intelligatur, certo certius eſt, quidquid continent Thermæ, ex quo intra nobilium aquarum, atque præclarè uſui Practicorum inſervientium numerum recenſeri merentur, ſulphuri potiſſimùm debere; cujus quot, & quàm ſalubres uſus in medicina ſint, nemo non novit. Varia tamen eſt ſulphuris cùm ratione ipſius, tùm ex diverſitate diſſolutionis cum aquis permixtio. Quippè quibuſdam fontibus apertè ſub olei ſpecie innatat; uti ſe habet Fons ille verſus Beziers, ab doctiſſimo Thoma Bartholino Epiſtolarum Medicarum Centuria prima, Epiſtola X. memoratus. Hujus enim aquæ oleum ſupernatat, quod in uſum vulgarem

*Sulphur verè medicatas aquas facit.*

*Variè aquis miſcetur.*

*Fons Beziers.*

rem ad elychnia venit, vocaturque oleum Gabianum; cujus ea est conditio, ut alibi benignius non reperiatur. Ex aliis ubere proventu tenue, & dulce sulphur habetur, quod præsertim saxis passim adhærescit: uti fit in bullientibus aquis apud Puteolos, referente eodem Baccio, Libro IV. Capite IX. multisque aliis, in quibus magna sulphuris dulcissimi quantitas, eaque sæpè sępiùs in flosculos sublimata aggeritur. In permultis verò, uti præ reliquis Franciscus Blondel, in Tractatu de Thermis Aquisgranensibus, & Porcetanis, Capite V. Cornelianis præsertim evenire asserit, ita se res habet, ut sulphur maximè oleant, habeantque oleosè dissolutum, & balsamicè mixtum, verùm adeò subtile, ut in Fontis ejusdem examine sedulitatem quamlibet eludat, & ne granum illius quidem colligi, aut videri possit.

*Bull. aquę apud Puteolos*

*Thermę Aquisgrani.*

Antequam igitur, quid nobis de hujus corporis præsentia in his Thermis videatur, statuamus, animadvertendum ducimus, nomine Sulphuris hic nihil aliud intelligi, quàm pinguedinem quandam inflammabilem; cujus cùm ingens copia præ reliquis crudis sulphuribus insit, factum est, ut sub Sulphuris ipsius, utpotè potioris, nomine reliqua omnia pinguia concreta venirent. Porrò distinctiones omnes corporum inflammabili pinguedine præditorum indè exoriuntur, quòd

*Quid nomine sulphuris intelligendum.*

ea-

eadem pinguedo variis terrestribus particulis sæpè sæpiùs miscetur; cumque iisque coagulata, aliquatenùs diversas colorum, saporum, totiusque texturæ imagines præsefert. Inde Sulphura, Bitumina, Succina, Resinæ, Pices, atque alia permulta, quorum seorsim innumeræ propemodum species sunt; queque, etsi plurimùm inter se differre videantur, nihilominùs in eo cuncta conveniunt, quòd eorundem alia pars oleaginea, bituminosa, atque inflammabilis sit, alia verò acida; uti ex instituta singulorum analysi elucescit. *Unde varia sulphura.*

Hac de causa, nisi aperta particularium horum Succorum indicia in fontibus medicatis adsint, frustrà laborare nonnullos suspicor, qui levibus quibusdam conjecturis innixi, acriter pro aliqua horum Succorum specie, reliquis rejectis omninò, statuenda decertant. Arduum quippe, ubi pinguis Succi principia probè soluta aquis, iisque non simplicibus, confundantur, singularem ipsius indolem, veluti protenso digito, designare. Hinc sæpissimè inter scriptores lites, & jurgia; hinc quæstiones eædem ferè centies repetitæ, & nunquam, nisi alia mens incesserit, finem habituræ. Satius propterea crediderim in hoc loco, pro assignanda oleosi corporis natura, quod hisce Thermis miscetur, lato, ut ajunt, modo, uti nomine Sulphuris: quandoquidem, si effectus quoque ipsius, *Unde dissensio scriptorum super sulphuribus.*

uti

uti vulgò accipitur, animadvertantur, nullum dubium erit, quin ad hujus ferè speciei rationem commodè referri queat.

*Thermis Patavinis sulphur inest.* Itaque, quoniam veritati summè consonum videtur asserere, Patavinis fontibus, nemine excepto, Sulphur inesse, ideò pro eadem sententia comprobanda minimè utar illorum argumentis, qui nullas omninò Thermales aquas sine aliqua Sulphuris admixtione inveniri posse, contendunt. Quippè cùm non desint, qui calentissimos quosdam fontes ab Sulphure penitùs immunes in medium afferant, ut à nobis quoque memoratum aliàs fuit; visum propterea quæstionem omnem sicco, ut ajunt, pede transire. Enimverò non in ea rationum inopia versamur, ut non aliundè, ad asserendam Sulphurei corporis præsentiam, argumenta conquirere valeamus.

*Ab odore arguitur;* Igitur magnum, clarumque in primis hujus succi signum est, odor quidam ab hisce Thermis passim expirans, isque adeò latè diffusus, ut, nisi ventus obsistat, satis è longinquo deprehendatur. Hinc latere causa hujusmodi odoris minimè potest: vel rusticis ipsis inde conjectantibus, Sulphura iisdem aquis commisceri. Multùm tamen intendi crediderim memoratum fœtorem, ob aliquam Sulphuris ipsius certis temporibus dejectionem, cujus non pauca indicia, causæque eandem efficientes haberi queunt. Propterea putorem illum summè imminui deprehendas,

si,

ſi, repurgatis alvei fæcibus, aſſiduè ex eruptionis loco humor exhauriatur. Qua de cauſa ut hic effectus in univerſum ob odoris ſimilitudinem ſulphuri aptè aſſignatur, ita multò magis rem ità ſe habere dicendum erit, ſi illos audiamus, qui odores omnes cùm gratos, tùm ingratos ab Sulphuribus proficiſci exiſtimaverunt. Quæ tamen ex eo probari ulteriùs videntur, quòd, poſt inſtitutam Thermopotationem, alvinæ fæces per aliquot dies in non paucis Sulphureum fœtorem præferant. Idem, ſecundum illorum ſententiam, & ex colore qui conjiciant, non deſunt. Quippè cùm ab Sulphuribus iiſdem radicale, uti volunt, fundamentum, atque principium colorum petendum ſit; videtur aquæ horum fontium Sulphur ineſſe, quòd variè pertractatæ, ſed præſertim ex verſicolore pellicula, & per ſe, & inter evaporandum concreſcente, miram quandam colorum varietatem exhibeant. Quamvis tamen hunc effectum ad ſales congeſtos, ac variè lumen torquentes, plurimùm referendum eſſe multi exiſtiment. *& colore*

Sed, ut hæc mittamus, ſi præcipuos alios effectus, uti dictum eſt paulò ſuperiùs, animadvertere libeat, ſi nigerrimum plurimorum fontium lutum, ſi ſubturbidam aliquatenùs aquam, atque alia his ſimilia, certo certius eſt, ſatis commodè ad alia mineralia hæc referri non poſſe. Præter eà cùm notum *Ab effectibus variis.*

tum sit, Sulphur multifariam, sed præsertim ab alkalicis salibus præcipitari, si puta, Oleum Tartari per deliquium, aut simile quidpiam adhibeas, facilè colliges ex effectu præsentiam pinguis cujusdam corporis asserendam videri. Id colligi quoque ex acidis aliquibus poterit: quatenùs suam sulphur cum calce viva per decoctionem solutum, præcipitari facilè cum acidis solet. Quoniam autem idem haberi ab spiritibus alkalicis volatilibus, atque inde coagulari sulphurea corpuscula consueverunt, adhibito, e. c. Spiritu Salis Amoniaci, in aqua harum Thermarum eadem eveniunt; satis aperto, uti volunt, sulphuris argumento. Licet verò notæ, quæ ab sedimentis desumuntur, suspectæ non paucis sint; nihilominùs his conjecturis id quoque robur addere videtur, quòd & odor sulphureus ab iis expiret, & lactescentia aliqualis haberi queat, ac demùm inflammabile quiddam ex iisdem semper eliciatur.

*Cur flores sulphuris non appareant.*

Neque multum negotii nobis facessit, quòd in his fontibus sulphuris flores per aquas sublimati, atque in glebas accreti, in variis locis non apparent; quemadmodùm satis magna quantitate fieri quibusdam in Thermis consuevit. Quippè si cùm distantiam sulphureæ mineræ ab loco eruptionis, tùm mineræ ipsius, saliumque effervescentium indolem consideremus, facillimum captu erit,

ex

ex varia horum ratione posse memoratum eventum in aquis sulphureis variè intercipi. Illud enim arbitror nulla difficultate laborare, quod ingeniosissimi viri consultò protulerunt, nempè salinam sulphuris partem facilè quidem in aquis solvi, quam etiam crediderim plerumque altùm se in aliorum contentorum poros insinuare, atque abdere, at pinguem, & inflammabilem aut difficillimè, aut nonnisi secundum subtiles omninò particulas, huic mixtionis rationi parere. Hinc ferè semper crassa pinguis hujus materiæ solutæ portio plurimùm ab aquis separatur; ac dumtaxat tenuissimum quiddam remanet, quod vasa quælibet pertranseat, ac nulla arte coerceri possit. Propterea dictum oleosè, ac balsamicè mixta aquis sulphura aliquandò esse; observatumque aliàs quibusdam in Thermis, ne granum quidem hujus succi separari potuisse. Itaque si & debito intervallo minera distet ab scaturigine, & minera eadem, ac sales in aqua soluti ita comparati sint, ut facilè indè præterfluens rivus sibi sulphur in determinato quodam statu assumere, atque exponere valeat: mirum non est tunc ditissimos sulphuris flores ab aquis duci, & variè sublimari. At ubi vel justo magis ab eruptionis loco semota, vel, quod plurimùm interest, alia qualibet ratione sulphurea minera, saliumque efferuescentium in aqua solutorum conditio se habeat, tunc nemini du-

bium

bium esse arbitror, quin etsi solutio ejusdem mineræ præcesserit, ea tamen ratione duci sulphur ab aquis non possit, ut non longe à scaturigine valeat in apertos flores sublimari.

Id uti evenire in omnibus fontibus sulphureis, qui apertè sulphur non præbent, quemadmodum in hujus rei exemplis apud auctores passim videre est, credi facilè potest; ita, ne nimius sim, existimaverim, hujus rei summam in eo verti, ut quidquid sulphureum, post eruptionem horum fontium iisdem mixtum intimè est, tenue admodum sit, ac ferè ipso vulgari flore subtilius; vel quòd ante eruptionem reliqua sulphuris portio decesserit; vel quod minera sulphuris eatenùs dumtaxat solvi ab aquis potuerit, vel denique quòd pleraque sulphurea corpuscula cum aliorum contentorum particulis jam conjuncta, atque intimè iisdem associata, haud procul ab scaturigine dejiciantur.

*Cur ubique lutum pingue non adsit.* Cæterùm ex memorata solutionis varietate, distantia scaturiginis à minera, aliisque oriri arbitror, quòd non ubique exeuntes aquæ pingue lutum deponant; atque iterùm in singulis conceptaculis ferè diversæ luti species congerantur. Ut enim aliquis mineræ locus cæteris est sulphuris, salisve ditior; atque uti aqua subtilissimas tantùm particulas sulphuris aut assumit, aut retinet; ita vel cœnum magis, minusve pingue subest, vel ejus lo-

loco ex aſſidua arenularum, terreſtriumque aliarum particularum, quas quibuſdam in locis aqua plurimùm congerit, appoſitione, ſalinis corpuſculis intertexta, tophi quidam, cruſtæque aſſurgunt, petras mentientes. Hæ enim ubi modicam calcinationem ſubierint, ſalino coagulo diſſoluto, in arenam, terramque penitùs abeunt.

Quoniam autem, poſt odorem ſulphurei corporis apertiſſimum, ſapor harum aquarum plurimum eminet, hujus verò origo à ſalibus ducenda videtur, ideò ad ſalium in his Thermis ſolutorum indaginem accedendum eſt. Porrò cùm ſapor idem, ut leviter aquam attingenti patere poteſt, ſalſus omninò ſit; propterea non ſine ratione dici poſſe autumo, eundem ad aliquam ſalis ſpeciem, accedentem ad Salem Communem, referendum eſſe. Id autem facilè eluceſcit per ea, quæ reagentia nuncupantur; unde & præcipitationes arte inductæ ſalis ipſius naturam detegunt. Itaque præ cæteris Argento in aqua forti ſoluto uti libeat. Quo vix affuſo, cùm Thermalis aqua albeſcat, ac miranda pernicitate calx, ut inquiunt, Lunæ præcipitetur, ſatis apertum ſit, aquam ſale communi turgere. Neque aliter res eveniet, cùm eadem aqua forti ſolutum argentum, decantatumque Thermali aquæ, cujus portio data opera per evaporationem jam abjerit, infundatur. Quippe hoc ordine mul-

*Salis examen.*

*Sal cōmunis.*

multo citiùs calcem Lunæ præcipitatam adipiſci facilè quiſque poterit. Uti autem ſapor ſalſus in his aquis plurimùm augetur, ubi eædem coquantur, quoniam nempè, particulis aqueis evaneſcentibus, confectiores ſales fiunt; ita, decoctione perfecta, ſales ſimul congeruntur, quos ſi in aqua communi iterùm ſolvas, idem per reagentia obtinebis.

*Quę illi figura, quis ſapor ſit.* Porrò Sales poſt aquæ integram exhalationem reſides exploranti ſapor, & figura inprimis ſeſe offerunt; quæ plurimùm ſali communi ſimilia eſſe, res ipſa declarat. Ut autem in ſapore, ad ſalis communis differentiam, paulò remiſſior ſalſedo eſt; ita in figura illud præ cæteris animadvertendum venit, quòd licèt plurimùm cubicas cryſtallos repræſentent, cæteris fontanis ſalibus perſimiles, tamen cryſtallorum haud paucæ variè ad angulos præciſæ ſunt, adeò ut nullam ferè regularem figuram præſeferant. Quoniam autem experimento vulgatiſſimum eſt, ſæpè ob tumultuariam horum corpuſculorum in cryſtallos concretionem, genuinas eorundem ſpecies non reprçſentari; quæ tamen, iteratis diligentiùs ſolutionibus, concretionibuſque, demùm ſecundum votum emergunt; nihil omiſſum, ut cùm ex ſimplici, & primaria, tùm ex repetita per novas ſolutiones concretione appareret, quam præferrent potiſſimùm ſalis figuram.

Sed

Sed quemadmodum in magna quantitate cubicas cryſtallos inde ſemper exortas vidimus; ita nunquam alia ſalina corpuſcula non apparuere, quæ ad varios angulos præciſa, variorum ſalium figuram aliquatenùs exhibere viderentur. Quorum effectuum cauſam ex eo potiſſimum petendam eſſe ducimus, quòd ſales iidem inter effervescendum varias figuræ mutationes patiantur. Idque minimè mirum ei videbitur, qui animadvertat, eò magis poſſe aliqua corpora inter varios luctarum conatus aliquam figuræ ſuæ jacturam facere, ut in ſalibus evenit, qui immò poſt varias fuſiones, ſolutioneſque denique in terram inſipidam abeunt; quò faciliùs artis ope multiformes figuras ea de novo aſſumunt, quas antea non habebant. Hinc uti optimè notat ſubtiliſſimus Becherus, Phyſ. ſubterran. Libro primo, f. 5. cap. 2. §. 23. ipſa aqua communis multoties deſtillationi ſubjecta eam corrodendi vim nanciſcitur, ut ad metalla quoque ſolvenda ſit accommodata. Patet idcircò, quàm facili negotio contingat, ut dùm ſales ſalibus adverſæ indolis occurrunt, vel in aliquas alias materias agunt, atque in effervescentiæ niſum aſſurgunt, variè immutentur, confingantur, atque invicem ſeſe excipiant. Continuòque mirum eſſe deſinit, cur poſt hujuſmodi conatus non ſuus cuique ſapor, non figura penitùs conſtent.

*Quomodo ſaliũ figuræ immutetur.*

*Et in terram inſipidam abeant.*

Cæterùm ad quodnam præsertim salium genus referri harum Thermarum Sal debeat, indicat plurimùm effectus ipsius in ignem injecti; in quo nec ullam flammam concipit, nec aluminis more fluit, sed non secùs ac Sal Communis, crepitus edit. Quamobrem, ut alia quoque ejusdem cum Sale communi collati experimenta haberentur, modica utriusque portio seorsim in paribus aquæ mensuris soluta est; quibus cùm solutio Mercurii Sublimati deindè addita fuisset, nec turbatio, nec præcipitatio ulla aquæ sublimati in iisdem sequuta est. Rursùs, si utrumque salem in aquam Tornasolis colore imbutam seorsim injicias, nulla tincturæ mutatio sequetur; eademque ratione quemadmodum solutio Vitrioli turbari nequaquam poterit, ita ferè ab utrisque Saturni salem, in aqua communi solutum, filitratumque præcipitari, deprehendes.

*Cum sale communi comparatur.*

Silentio tamen non prætererim, cùm acidis sali Thermarum affusis novi aliquid emergere. Quippe, si nitri, sulphuris, salis, aliarumque rerum ejusdem generis spiritus adhibeantur; apparebit luctam aliquam exoriri, ac bullulas excitari; non secùs, ac cùm ferè adversæ naturæ succis acida eadem affunduntur. Cujus tamen effectus causa satis aptè ex iis peti poterit, quæ memorata sunt circa varias salium confractiones; propter quas ab communium hujusmodi succorum natu-

*Cum acidis aliquatenus effervescit.*

tura recedere aliquatenùs videntur.

Quod reliquum adnotandum eſt, variè iſtud Salinum corpus hiſce Thermis eſſe permixtum. In aliis enim ea quantitate reperitur, ut & ſaxis cum pauca ſive arenæ, ſive alterius terreſtris ſubſtantiæ portione paſſim adhæreſcat, & aqua, etſi plurimum ab ſcaturigine diſtet, ſalſa admodùm ſit. In aliis aqua ſalſedinem modicam exprimit, nulli verò ſales ſecus ejuſdem decurſum apparent. At in fonte B. Virginis præter id vix apertam ſalſedinem, uti dictum, invenies; experimentoque deprehendere facilè poteris eundem tenuiſſimo, pauciſſimoque hujuſmodi ſale dumtaxat præditum eſſe.

*Parva ſalis portio in fonte B. Virg.*

Vitriolum quod ſpectat, licèt non deſint, qui in ea ſententia ſint, ut credant, ferè ſemper in lapidibus ſulphureis, à quibus ſulphur fontes arripiunt, Vitriolum inveniri, nullum tamen, nobis ſaltem, quibus effectus dumtaxat adnotare animus eſt, hiſce in Thermis hujus ſalis indicium ſatis validum obverſatur. Quippè nulla in primis aperta aciditas in ſapore harum aquarum emicat, quam Vitriolum nunquam deſerere notum eſt; deindè ne vulgare illud quidem ſuccedit, ſolutionem nempè Gallarum his aquis infuſam nigredinem ullam conſpicuam, aut ſaltem colorem aliquem ex rubro in atrum paulatim degenerantem indè contrahere. Nec ſecus res eveniet, ſi pulverem Gallarum ad-

*Vitrioli nullum ſignum habetur.*

hibeas. Ex qua permixtione non color Vitriolum indicans, non odor ullus atramenti haberi ulla arte poterit. Porrò incassum recident eo alia omnia, quibus ad Vitrioli præsentiam statuendam sæpissimè ducimur. Hinc nec Fol. Tea, aut foliis Quercus, nec Myrabolanis, aut corticibus Granatorum, nec Tornasolis tinctura, aliisque adhibitis, ullum Vitriolici acidi argumentum elicitur.

*Objectionis solutio.* Non me præterit tamen, quid hisce objicere soleant ii, qui pro Vitriolo, quod sæpissimè in Thermis inveniri contendunt, acriter dimicant: nempè ex allatis ideò nullum hujus salis signum haberi, & præsertim ab Gallis expectatam tincturam non proficisci, quòd Thermalis liquor mineralibus spiritibus fortissimis ita corpus Gallarum disjiciat, ut eædem tincturam exhibere non valeant. Utcunque tamen hæc intelligenda sint, uti, ducta ab integræ aquæ investigatione conjectura, subesse hìc soluta vitrioli principia nullatenus suspicamur, quæ, si adessent, dubio procul per memorata aliquatenùs saltem proderentur; ita per sedimenti, atque indè educti salis examen intelligi facilè potest, nulla alia ratione ibidem Vitriolum inveniri. Pertractata enim quolibet ordine sedimenti portione, id succedit, ut ne in suspicionem quidem Vitrioli adduci possimus. Salis autem Thermalis texturam, effectusque singulos, post varios fusionum, & calcinationum nisus, con-

tem-

templanti idem apertum fit: omnibus dissimilis omninò ab Vitriolo salis naturam præferentibus.

Quoniam Vitriolo proximum est Alumen, proximè idcircò quærendum videtur, an aluminosas hasce Thermas, vel saltem ullum ex iis fontibus pronunciandum esse censeamus. Notum siquidem est, quamplurimos veterum scriptorum, quòd horum fontium aquæ adstrictoria vi pollere viderentur, easdem aluminosas apertissimè nuncupavisse. Propterea his quoque temporibus non desunt, qui nonnullos ex his fontibus à prædominio aluminosos vocitent. At cuinam rationi hæc sententia innitatur, breviter videamus. Primò enim si aut prædominium, ut ajunt, Aluminis, aut alia quælibet ejus portio in his fontibus reperiretur, non ambigo, quin, uti ipsius effectus adeò conspicuos esse deprædicant, ita & vinosus, adstringens, atque stipticus simplex sapor, magis, vel minùs intensus, adesset. Siquidem id præ cæteris Aluminis proprium esse, nemo inficiabitur. Verùm, sapore harum aquarum sæpissimè, diligentissimèque considerato, nondum mihi ulla ex parte innotuit, quidquam, præter salsedinem eminere. Sapor autem vinosus, & stipticus adeò abest, ut vel indè, etiamsi desumptæ ex aliis rebus conjecturæ præsto essent, validissimum argumentum suppeteret ad propositam super præsentia A-

*Uti Vitriolum, ita & Alumen abest.*

*Ex sapore.*

luminis sententiam rejiciendam.

*Ab effectibus.* At quemadmodum sapor, ita multa alia hos fontes aluminosos ineptè à quibusdam appellari demonstrant. Hinc, injecto Gallarum pulvere, ne modicè quidem albescunt, aut sedimentum ullum album congeritur, ut, Cl. Petro Giurio teste, in Acidularum Arcano, in iis aquis evenit, in quibus Alumen prævalet; nec, Vini spiritu admixto, ulla lactescentia instar seri lactis, quam aliàs præsente plurimùm Alumine sequi volunt, exorta. Idem Bresilii ligni testimonio ulteriùs comprobatur. Si enim aquæ fontis tandiù incoquatur, dum colorem trahat; huic aquæ residuum decocti fontis immisceatur: cujus ob accessum Bresilio intensiorem colorem nullatenùs induente, quin absit Alumen, minimè ambigendum unusquisque crediderit. Ulteriùs neque per additionem Coccinellæ, intensior ullus factus est color, quam cum cæteris acidis; neque ex Tornasolis tinctura ullæ Aluminis notæ apparuere.

*Ab sedimentis, & sale.* Si verò sedimenta earundem aquarum variè pertractare animus ferat, nullus dubito, quin incassum laborent, qui in iis hoc salis genus invenire adnituntur. Atque iterùm si cùm salium his fontibus contentorum figuram, tùm ipsorum effectus considerent; facilè iis innotescet, nec ullas prorsùs crystallos Aluminis ibi reperiri, nec quidquam more Aluminis, igne admoto, fundi; aut aliud quid-

quidpiam eorum indè haberi, quæ Alumen ubique præseferre consuevit. Quod autem, ut alia multa nullius ferè momenti prætercam, de adstringenti eorundem fontium facultate memorant, levissimum putarim. In eo enim, ut terrestris materiei portionem sileam, & Salis ipsius Communis vires maximè elucescunt, quòd superfluitates consumat, exsiccet, & leniter etiam adstringat, ut non modò ab doctissimorum Practicorum scriptis, sed quotidiè ab experimento colligere est.

*Nitri examen.*

Minimè autem levior scriptorum contentio, ubi ad Nitrum ventum fuerit: plerisque pariter ex effectibus nonnullis harum aquarum, Nitrum subesse statuentibus. At, ut ea brevitatis causa prætermittam, quæ metallicarum aquarum investigatores afferunt, ad rejiciendam in omnibus fontibus, ex inferna tellure erumpentibus, Nitri præsentiam, namque ob non paucorum experimenta ingentem difficultatem patiuntur; singula his aquis infusa sunt, per quæ Nitri indicia haberi solent; demùm verò cùm Nitrum & per Antimonium variè præcipitetur, exigua quædam Antimonii portio in spiritu Salis soluta, atque harum Thermarum singulis aquis infusa est. Sed cùm Antimonium, ut in nitrosis aquis fieri volunt, nullo pacto præcipitaretur; hoc quoquè allatæ conjecturæ pondus addere, visum est.

Adhuc pulvis ab decoctione residuus, in aqua pluviali solutus, post filtrationem in arena, ritè per evaporationem consumptus fuit. Quibus perfectis, nec sapor Nitri salis emersit, nec Nitri ejusdem crystalli in loco frigido unquam concrevere. Rursùs si idem pulvis in charta siccetur, ac deindè incenso carboni imponatur, nequaquam radios emittet, aut scintillabit, ut Nitrum agere consuevit. Quæ omnia ex ipso sale Thermarum quovis alio ordine educto, consideratoque, per singulas vices clariora fiunt. Quippè si figuram spectes, nunquam, uti dictum, sexangulæ Nitri crystalli, productæ, tenues, atque æqualiter crassæ ulla ex parte, aut quantitate prodibunt. Si verò effectus inspicias, uti nulla experimenta per ignem, salem nitrosum indicant; ita actiones omnes, quæ ab nitroso sale per quoslibet alios conatus eliciuntur, penitùs absunt.

Quod autem spectat ad eos aquarum effectus, quos admotæ corporibus præstant, non est cur in his rationibus, quæ hinc ab aliquibus desumuntur, confutandis tempus teram; cùm quia omnium ferè levissima hujusmodi conjectura est, tum quoniam effectus ejus conditionis sunt, ut ad alia earundem aquarum contenta referri facilè queant.

*Ferri vena omnium aliarum* Accensetur his Ferri, sive Martis explorandi ratio omnibus una cum Plinio decernentibus, venam Ferri omnium largissimam

esse,

esse, nec paucis (sumpta fortasse indè occasione) aquas minerales omnes magis, minusve ferrea substantia imbui. Nihilominus, etsi inficiari nemo possit, ferream venam cęterarum omnium esse ditissimam, amplissimamque; id tamen necessariò sequi ex hoc minimè videtur, ut nempè hac de causa aquæ omnes medicatæ Ferrum continere debeant. Satis magnum hujus rei argumentum sunt Fontes singuli, de quibus agimus. Quippè sicuti ferè omnes scriptores nullum in his Ferrum inesse apertè statuerunt; ita nulla arte hoc metalli genus in eorundem Fontium examine reperire datum. Crediderim proptereà ideò ab plerisque medicatarum aquarum descriptoribus sancitum fuisse, ferreæ substantiæ portionem iisdem semper, atque ubique commisceri, quòd humani corporis ductus, quibus crassum quiddam, terrestre, limosumque impactum fuerit, aquarum earundem potu, instar Medicamentorum ex Marte paratorum, sæpissimè expediantur. Cujus effectus ratio, si simile quidpiam ex his aquis habetur, cùm alio ex principio satis aptè peti possit; ideò, Ferri absentiam hoc in loco multis ostendentibus, satius videtur aliam sententiam sectari. *largissima.*

Itaque, quia per pulverem Gallarum, Fol. Tea, & similia, tinctura nulla nigricans, & obscura in his aquis succedit, quod Mars ubique, & præsertim Martis Vitriolum præstat; *Nullum in his Thermis ferrum.*

stat;

ſtat; excrementa alvina eaſdem aquas bibentium non denigrantur; odor ferrugineus, & ſapor, atque hujus generis alia prorsùs non deprehenduntur; ſal, atque alia ſedimenta aquarum vehementi igne in crucibulo calcinari curavi. Verùm nullum inde ne ſubobſcurum quidem, Ferri veſtigium. Quippè nec in lapideam duritiem, & nigricantem quidquam concrevit, nec ſcoriarum quarundam, ab calcinatione hujus metalli prodire aſſolentium, ſpecies elici potuit, in quibus, an aliqua Ferri pars eſſet, eaque à Magnete traheretur, experirer. Haud ſecùs res eveniet, ſi ſubjectas glebas per ipſum Magnetis experimentum quoque animadvertas. Quamvis tamen negare non auſim, Ferri fodinas quaſdam haud procùl his fontibus olim, ut incolæ referunt, uſui fuiſſe. Ex qua re ſumi fortaſsè aliquod argumentum poſſet aſſerendi, uſque ad horum fontium originem fodinas eaſdem pertingere, dummodò ſignum Martis aliquod appareret, per quod liceret laudabiliter arguere ejuſdem mixtionem. Verùm cùm id penitùs deſit, veritati propior videtur conjectura, quam protulimus: Ferrum nempè nullum his Thermis commixtum eſſe.

*Ferri Fodinæ.*

Cæterùm in iis, quæ extra aquam adnotanda veniunt, præ cæteris conditio loci contemplationem meretur. Et primò quidem in ſcaturiginum oſtiis, canalibus, alveis, luti colo-

*Quid extra aquã notandũ occurrat.*

colore, aliisque quid novi ostendatur, videndum est. In quibus tamen nihil prorsùs observatione dignum occurrit; si sales dumtaxat excipias, nonnullis in locis, ut in S. Petri balneo, quà per declive solum ad inferiora fons devolvitur, saxis adhærentes, iidemque variè arenulis intertexti, & cum his cœni colorem varium, prout per hos, vel illos meatus humor erumpit. At quemadmodum sales examini subjecti unius omninò sunt indolis, eosdem effectus emittunt, atque in omnibus cum sale ex aquis arte confecto conveniunt; ità & luti colorem, levi quacunque de causa ex vario genio telluris, atque ex diverso solutionum ordine, vel in uno, eodemque balneo sæpiùs mutatum, instituto jam proposito nequaquàm officere constat ex eo, quòd, ut infrà dicetur, inter terrestres particulas vario ex fonte secretas, atque à salibus liberatas, nullum ferè discrimen intercedit.

Ex quibus colligere libet, haud patere ullum suspicandi locum, diversa inter se hæc omnia balnea esse, in quo nonnulli decepti sunt, potissimùm ob varium telluris colorem; ac propterea aquarum earundem contenta levi hac de causa inter se discrepantia statui minimè debere. Neque secùs res succedit, si, quæ circa hos fontes sunt, animadvertamus. Nihil enim, præter pingue solum, & Ferri fodinas olim, uti ajunt, conspicuas,

in-

invenies. Cujus, quemadmodum dicebamus, metalli indicia, cùm prorsùs absint, videtur non sine ratione statui posse, etiamsi eædem his quoquè temporibus vigeant, nihilominus per ferreas venas fontes hosce nullatenus decurrere.

*Evaporatio.* Porrò aquæ in partes discretæ examini adhuc incumbentes lenta evaporatione primùm utimur. In qua alia sursùm avolant, aut in superficie humoris veluti concrescunt; parietibus vasis adhærent alia; nonnulla verò sensim, ac sensim decidentia, denique in imo congeruntur. Elato sursùm in halitu, præter particulas aqueas vi ignis extenuatas; odor nequaquam gravior eo effertur, qui ex aqua recens è fonte educta excipitur. Continuò concrescentes in superficie aquæ particulæ varios simùl colores referunt, quæ cùm veluti in pelliculæ morem aptentur, diligenter, qua fieri potest, eductæ prunis, & candenti ferro imponuntur. Hinc licèt apertè flamma non prodeat, idque fortasse ob terreas, salinasque particulas admixtas; intelligimus tamen, materiam quondam pinguem, atque incendio aliquatenùs aptam esse.

Quæ autem parietibus vasis adhærescunt, cùm & saporem, & figuram salis omninò præseferant, eodem, quo communes sales, ordine, uti dictum, expenduntur, nec tamen quidquam ab iis dissimile uspiam edunt.

*Sedimentum.* Postremò sedimentum si eximas, illud primò

mò in hoc advertere licet, quòd nempè cum acidis liquoribus ebulliat. Idque ex eo plurimùm proficiſci arbitror, quòd cùm multæ ibi terreſtres particulæ, ſaleſque iterùm multi inter efferveſcendum variè immutati adſint, iidem cum adverſæ figuræ corpuſculis de more certamen inſtituunt. Porrò alia ſedimenti portio ſiccata, & ſoli expoſita ſales multos oſtendit; quos ubi per ſolutionem, filtrationem, atque evaporationem data opera ſecernere placuerit, demùm terra quædam albeſcens remanebit, qua ubi denuò per repetitas ſolutiones omninò ſales eduxeris, denique eò res deveniet, ut nullus ex ea ſapor emittatur. Hujus ſi varium examen, & præſertim per ignem inſtituas, haud apparebit quidquam ferè in eadem, præter auctum candorem immutari. *Terra alba.*

Partem ſedimenti alteram, partim in tigillo igni ſubactam, nec Cupri, nec Ferri Scorias protuliſſe ſcias, partim aqua rodenti corruptam, nullam in excrementis Æruginem, aut Ferruginem, aut aliud quidpiam protuliſſe, undè vel Ferrum, vel Æs, vel quid hujuſmodi ſubeſſe ſtatueres. Neque aut Plumbi, aut Stanni, aut, ſi ultrò pergere placet, Arſenici ullæ notæ apparuerunt. Uti enim ea, ſi adfuiſſent, ex aliis conatibus colliquato in ſedimento regulum exhibuiſſent; ita ſedimentum laminis ferreis cand. impoſitum, nec fœtido, allii inſtar, odore nares perculit, *Cuprũ, & Ferrum.* *Plumbũ, Stãnum, Arſenicum.*

& mul-

& multò minùs dealbari indè laminas ferreas, quod Arsenico peculiare, deprehensum est. Aurum verò, atque Argentum quod attinet, quia, ut, quod à sale in his aquis soluto sumi posset, prætercam, sedimentum dissolutum, & præcipitatum cum lamina cuprea id non exhibuit; & rursùs sedimentum per corrosionem dissolutum punctis nigricantibus præcipitatum non est: ideò abesse utrumque haud temerè pronunciari posse crediderim.

*Aurum, & Argentum.*

*Insolatio, decoctio, &c.*

Majus quidquam non insolatione, aut decoctione, non putrefactione, aut destillatione, non denique ipso cœni examine perceptum est. Quamobrem obvia eventuum similitudine, & satietate fatigare legentis animum, operæ pretium non duxi. Itaque satis erit per compendia memorasse, singula experimenta id unum portendere, ut in hisce, de quibus agimus, Thermis quinque animadvertenda sint, Aquea nempè substantia, Spiritus, Sulphur, Salis cujuspiam enixi genus, & Terræ portio quædam; ac proindè, sumpto à præcipuis contentis argumento, non ineptè aquas easdem Sulphuro - Salinas appellari posse.

*Hæ Thermæ Sulphuro - Salinæ statuuntur.*

Cæterùm non omissa experimenta, quæ per coctionem fabarum, cicerum, aliorumque in hujusmodi aquis instituuntur. Verùm nonnisi intutò colligi ab his solent vires aquarum, cùm persæpè vitium non in aquis sit,

*Effectus earundè in variis coctionibus.*

ſit, ſed in leguminibus, quæ, ſecundum locorum varietatem, nunc coctu facilia ſunt, nunc ne longa quidem, ac vehementi coctione emolliri valent. Hinc L. 7. Quæ. conv.
„ Qu. 2. Plutarchus, ſulcorum duorum conjun-
„ ctorum, inquit, alterum rigidam meſſem fun-
„ dere, alterum minimè. Nihilominus tamen, uti ab eorundem locorum incolis quoque, qui id multoties experti ſunt, traditur, in memoratarum rerum coctionibus effectus contentorum allatorum naturæ plerumque ſimiles haberi ſolent.

*Quid de aliorum opinionibus cenſendum.*

Quod reliquum, licet optimè noverim, paſſim ab harum Thermarum deſcriptoribus tot contentorum non modò ordines, & gradus, ſed & genera, quot balnea recenſeri, hinc Bitumen, Succinum, Aſphaltum, Cretam, Cinerem, Calcarium Lapidem, Calcem, Pumicem, Gypſum, Marmor, Vitriolum, Alumen, Nitrum, Cadmiam Foſſilem, Gleboſam, Ochram, Ferruginem, atque alia propemodum innumera prolata fuiſſe; nihilominùs, cur diverſo inſtituto inhærendum mihi cenſerem, permagni momenti ratio ſuaſit. Siquidem non video, quamobrem diverſas ſeptem horum Fontium deſcriptiones ineam, cùm, uti jam memoratum fuit, poſt varios conatus eundem contentorum numerum ubi deprehenderim. Neque hujuſmodi conſilium argumento ſoli, aut ſcaturiendi ordine, non calentis ubique humoris ſpectaculo

lo incitantibus, in animum irrepsit. Quippe unumquodque ex iis, quæ in hoc capite allata sunt, repetito multoties singulis in fontibus experimento, ordine eodem semper innotuit.

*Objectionum solutio.* Scio tamen, quid plurimi objiciant, & quantum mihi discriminis cum iis restet, qui ab asserto, atque defenso tot annis, & tot ingeniis instituto vix ulla ratione dimoveri poterunt. Non caliditatis modò, fœtoris, & luciditatis gradus, sed prætereà scaturiginum loca, lutum, alveos, &, quod plurimi faciunt, virium, effectuumque aliquam varietatem in causa esse, ut diversa quoquè memoratarum aquarum indoles statuatur. Veruntamen quemadmodum externas, & nullius momenti causas nequaquam adhibitis à tot gravissimis Auctoribus experimentis demere fidem posse, nemo compos mentis inficiabitur; ita multiplices effectus ex eo contingere, mecum optimus quisque sentiet, quòd, partim ob diversitatem locorum in minera, partim ob inæqualitatem distantiæ scaturiginis ab loco solutionis, non eodem gradu, mensuraque sulphure potissimum, sale, terrestrique materia singuli fontes imbuuntur.

*In quo hi Fontes differãt.*

Addendum & illud, summè enim conducit ad varietatem effectuum intelligendam, res nimirum, quibus hi fontes turgent, præter inæqualem eorumdem in quolibet fon-

*Solutionum diversitas.*

fonte menſuram, variè præparatas eſſe, varièque invicem intrà tellurem comminutas. Uti enim per diſſimiles effervescentiæ gradus, diſſimilis ſalium textura emergere valet; ita & variè ſulphurea minera ſolvitur, varièque præterlabentibus aquis immiſcetur; atque indè nemini incompertum eſſe queit, multùm hac quoque de cauſa effectus horum fontium inter ſe diſcrepare poſſe.

Idque præteреà inſtitutis experimentis omni ex parte reſpondet. Namque, licèt eadem ubique contenta ex variis affuſorum liquorum eventibus, ex ſedimentis, atque aliis ſubeſſe intellexerim; non tamen eadem quiſque celeritate, non menſura humor ea prodidit, quibus inficiebatur. Hinc, affuſa Lunæ tinctura, hic ſegniter, illic extemplò calx ejuſdem ad ima ferebatur. Oleo Tartari per deliquium ingens modò, modò exigua lactescentia habita; neque ſecus varia Terræ albę quantitas inventa. Quippe quemadmodum ex duabus Beatæ Virginis aquæ libris vix pauca terreſtris hujus materiei grana deprompta ſunt; ita in aliis unum, aut alterum ferè granum in ſingulis unciis obvium fuit. Eadem de cauſa in reliquis ſingulæ præcipitationes non moræ tantùm, verùm etiam magnitudinis ratione inter ſe ſatis conſpicuè diſcreparunt.

Quapropter, ut compendio cuncta comple- *Quis fõ-*

*tium ipsorum ordo sit.* ctar, quo ad contentorum numerum, similes undequaque fontes hosce habendos censeo: quo verò ad contentorum mensuram eo ordine collocandos puto, ut quinque priores per gradus iisdem haud modicè turgeant, dissimili tamen inter se sulphuris, salisque proportione, quod magis patefiet, ubi de ipsorum viribus agetur; præ cæteris autem S. Petri balneum, & S. Bartholomæi magis hoc sulphure, illud salibus imbuantur.

*Fons B. Virginis.* Cæterùm elegantissimam rerum earundem miscellam, inter montis radices longo opere elaboratam, Fonti, qui B. Virginis dicitur, inesse, tutissimus pronunciabo. Uti enim hujus aqua clarior cæteris est, vix tepida, modicamque admodùm salsedinem exprimens; ita minùs est reliquis gravis, tenuissimumque dumtaxat halitum sulphuris videtur continere. Quæ omnia cùm ab externis ipsius aquæ notis, tùm ab ejusdem ritè instituta analysi patere facilè cuique poterunt.



De

# *De Fontium Eorundem Viribus, & quibus Morbis conveniant.*

## CAPUT VII.

*Cur diù Thermæ suspectæ fuerint.*

DIù, multùmque minerales aquas omnes, & præsertim eas, quæ calidæ erumpunt, suspectas olim hominibus fuisse, ferunt ferè veteres rerum scriptores. Neque enim justissimæ suspicionis causæ deerant. Siquidem cùm multis in locis prodire fontes incolæ cernerent, qui non facie, non odore quidquam præseferrent sitienti nociturum; demùm, inito experimento, eam subdolè sævientis humoris indolem esse intelligebant, quæ, instar magnorum venenorum, deprehendi non nisi morte posset. Quòd prætereà & ferarum, & pecudum genus omne, natura monstrante, hos devitaret; quamplurimisque in locis ne arbusta quidem, quacunque pergeret rivus, eidem innascerentur; maxima labis argumenta erant. Quamobrem interdictus, horum culpa, etiam saluberrimorum fontium usus: tandiùque venenis simillimos esse promiscuè homines crediderunt, dùm,

extremo morbi cruciatu, ac remedii simùl inopia impellentibus, inopinatum subsidium in non paucis desperatio inveniret.

*Quomodò in usū transierint.*

Spes indè permultis, quos ęrumnæ eædem angebant, exitum eundem experiundi. Quo, post adhibitum aquarum delectum, non semel confirmato, eò demùm perventum est, ut nulla non regio fontium suorum indolem tentaret; &, juvaminis dulcedine incitante, iis læto, magnoque animo uteretur, quæ eousquè nequidquam peste leviùs pertimuerat. Hinc quoque factum, ut hujus medicaminis momentum, nulli ex iis, quæ diuturno opere ars invenerat, secundum haberetur: id præsertim suspicientibus hominibus, quod Aponum, & jucundè sublatos iisdem in aquis ægrotantium languores describens Claudianus, magnis laudibus efferebat:

*Non venas resecant; nec vulnere vulnera sanant;*
*Pocula nec tristi gramine mixta bibunt.*
*Amissum lymphis reparant impunè vigorem:*
*Pacaturque, ægro luxuriante, dolor.*

Indè simul mos hujusmodi aquarum beneficia, atque, ut inquiunt, miracula Diis referendi apud Ethnicos. Hi enim præclarissimis earundem eventibus incitati Clusinas Æsculapio, Borbonicas Junoni, Apollini, Jovique Granias, Calderianas Junoni, atque alias aliis dicatas esse voluere. Nec demum defuerunt, qui easdem Sacra Dei do-

na,

na, Sanctuaria, Auxiliatricesque Deorum manus nuncuparent.

At quantò certiùs in medicum usum thermales aquas tutò verti posse, deprehensum est; tantò accuratiùs perquirenda venit aquarum earundem indoles, atque indè expendendum, quibus præcipuè morbis singuli fontes medeantur. Hanc provinciam, in harum Thermarum historia describenda, ut obirent veterum medicorum quamplurimi, ad caliditatis, frigiditatisque gradus statuendos pronis adeò animis conversi sunt, ut, hoc juxta cujusque conjecturas constituto, omne fermè punctum tulisse sibi viderentur. Verùm quia mihi, juxta Medicinæ Principis placitum, qualitates eædem plerumque inertes, si cum cæteris conferantur, visæ sunt; ideò laudabiliore argumento investigandum esse intellexi, quibus viribus Patavini Fontes polleant, atque, inanibus quæstionibus missis, partes eorundem singulas brevibus prosequi decrevi, ut certius indè judicium de ipsorum virtute ferri valeat. Itaque, quia quinque corpora his in Thermis consideranda esse, superiore capite ostendi, Aqueam scilicet substantiam, Spiritum, Sulphur, Salem, & Terram albam; ideò, horum indole sigillatim detecta, facilè in eam spem adducor, ut credam quoquè omnium ingenium satis aptè cognosci posse.

*Necessitas explorandi earum vires.*

*Quæ in hac re Veterum studia.*

*Agendorum ordo.*

Et primò quidem quod aqueam substan-

*Aquea substan-*

*tia primò animadvertenda.* tiam ſpectat, nulli incompertum eſt, commune veluti vehiculum omnium aliorum corporum, ſive elementorum eſſe. Juvat opus ipſius aquæ figura: undè liquida, & fluida nuncupatur, mediumque locum nacta eſt inter ea, quæ ſolida dicuntur, & ſpirabilia. Conſtans propterea plurimorum ſententia, aquæ particulas oblongas eſſe, teretes, leves, flexibiles, atque alias aliis anguillarum more incumbentes; qua de cauſa cùm facilè fluunt, tùm ab ſubtiliſſimo aere aptiùs in motum aguntur. Hinc corporum poros ocyùs pervadunt; actuoſa corpuſcula quieſcentia extricant, quò uberiùs aliqua in miſtione inveniuntur, eò citiùs miſtionis ipſius vincula exolvunt, corrumpuntque; facilè, ſubdito igne, ſursùm evaporant; penniſque avium, quòd læves admodùm ſint, vix adhæreſcunt. Hæc, aliaque innumera, qui hujuſmodi figuram particulis aqueis eſſe inficiantur, non adeò facilè explicabunt.

*Aquæ proprietates.*

*Nullus in aqua ſapor.* Porrò nullus in aqua ſapor, utpote qui miſtionis ſoboles eſt. Et licèt in ſimpliciſſima, puriſſimaque aqua id experiri haud datum ſit, quòd tenuiſſimis aliis corpuſculis ſemper aliquatenùs inficitur; ſatis nihilominus conſtat, his etſi minimis quemlibet guſtum deberi; aquam verò per ſe omnis omninò ſaporis expertem ſtatuendam eſſe.

Hu-

Humida ulterius aqua dicitur, cùm madefaciat, quidquid appositum; alienis corporum figuris sese aptet; suisque terminis non contineatur. Quæ omnia ex ratione figuræ satis concinnè peti solent. Non paucorum deindè consensu placitum humiditati addere frigiditatem. Sed, cur id aquæ ex naturæ præscripto inesse asseram, herclè non video. Ut enim ea prætercam, quæ ex facili ebullitione, ex conglaciandi modo, aliisque ad hujusmodi sententiam oppugnandam desumuntur, ea potissimùm ratione ad id statuendum plurimos ductos esse, scio; quòd simplicem aquam contrariam igni maximè esse animadverterint. Sumptum indè argumentum pronunciandi, quemadmodum siccitati ignis opponi aquæ humiditatem, ita & illius caliditati, humoris frigiditatem obversari.

*Humida meritò dicitur.*

*Non ita frigida.*

Quo in loco, ne frustrà immorer circa siccitatem, humiditatemque, advertere libet, non aptè inferri, ea de causa debere aquam esse summè frigidam, quòd opposita sit igni, qui calidus est summè, eundemque ocyus extinguat. Siquidem non indè petenda extinctionis ratio, quòd frigida sit, sed maximè quòd humida. Propterea enim accensi corporis poros subeundo, eosdem obturat, estque in causa, ut corpuscula ignis, aut discurrere intra corpus, aut inde catervatim exilire ampliùs non possint. Quæ si ita

*Cur ignē extinguat.*

ta ſe non haberent; vix explicandi ratio ſuppeteret, cur aqua bulliens licet, &, quod magis eſt, oleum igni ſuperinfuſum, ignem nihilominùs extinguant. Multòque magis dicti veritas ex eo eluceſcit, quòd quotieſcunque ignis corpuſcula, ea, ob materiæ viſciditatem, cohærentia, ac pernicitate egrediuntur, ut aquam repellant; tunc, fruſtrato conatu poros ſubeundi, extinctionem ignis moliri ampliùs aqua non poteſt. Hinc doctiſſimus Helmontius, in Ignoto Hoſpite „morbo, nu. 77. 12. neſciviſſe ſcholas, ait, „ignem non extingui per aquam, quia fri„gida, aut contraria ſit; ſed ob ſolam ſuf„focationem. Deindè cauſam aliam ſubdens, „cur aliqua ægrè ab aqua extinguantur, id „evenire aſſerit, ob pororum exiguitatem, „uti evenit in auro, & vitro; quæ cùm o„cyùs pervadere humoris particulæ non poſ„ſint, ſegniter extinguuntur, atque aliquan„diù ſub aqua ſplendent.

*Quid ergo ex aqua habeatur.* Liquet ex his, ne nimius ſim, id in aqua potiſſimùm conſiderandum, quòd ſit aptiſſimum rerum aliarum vehiculum, atque indè quælibet ritè præparata, & comminuta ejuſdem ope per corporum poros facilè trajiciantur. Aptior huic muneri ea cenſenda, quæ magis naturæ ſuæ, ideſt, puritati accedit; contagioque aliorum corporum non inficitur. Niſi, ut in aquarum medicatarum ordine evenit, ea de induſtria eligatur, quæ partes quaſ-

quasdam heterogeneas contineat, quibusque præ ægritudine imbui corpus, atque alterari, necessum sit. Cæterùm, præcipuus aquæ effectus, humectatio: cujus origo ex ipsius figura. Refrigeratio verò, quia nequidquàm æquiùs, quàm calefactio eidem convenit, ex accidenti tantùm habetur: quatenùs scilicet particulas calorificas hinc indè diluendo, dissociando, & comprimendo, est in causa, ut motus earundem aliquandò defervescat.

Porrò, si harum Thermarum spirituosam materiem animadvertamus, ubi subterranei universalis spiritus ratio non displiceat, manifestum est, eam hujusce tenuissimi corporis esse naturam, ut facilè sese altùm in quaslibet partes insinuet, objectos succos incidat, penetret, ressolvat, atque præ cæteris urinæ vias aperiendo, diversim promoveat. Hinc quemadmodum, hæc præstando, haud paucis ægritudinibus medetur; ita non modò hausti humoris adjuvat excretionem, verùm est sæpè in causa, ut uno ferè, eodemque tempore aliqua comminutæ substantiæ portio insensibiliter eliminetur. Id præ cæteris norunt, qui, ut itinerum labores devitent, procul ab scaturigine Thermopotationem instituunt. Utcunque enim aqua ab eisdem excernatur, satis constat, ea celeritate, utilitateque id non evenire, qua in se fieri ii experiuntur, qui in ipso eruptionis loco, eandem assumunt. Si autem quid subtilissima reliquorum *Spiritus examē.*

con-

contentorum corpuſcula, ad quendam volatilitatis ſtatum evecta, præſtare in his aquis valeant inquiramus; nullus eſt ambigendi locus, quin vires rerum, undè diſceſſerunt, in omnibus exprimant; immò ob ſummam ſui mobilitatem, plurimùm iiſdem præſtent cùm efficacia, tùm celeritate.

*Sulphur.* Has autem ordine ut recenſeam, Sulphur in primis ſeſe offert, cui virtutem ferè omnem, facultatemque morbosis affectibus medendi debere Thermas, non ſine auctore dixiſſe paulò ſuperiùs crediderim. Definitur communiter Reſina, ſive pinguedo terræ cal-„chantoſa aciditate prædita; de cujus caloris, & ſiccitatis gradu utcunque inter ſe decertent ſcriptores, illud experimento deprehendi facilè poteſt duas eſſe potiſſimum ſulphuris partes, quarum alia pinguis, bituminoſa, atque inflammabilis, ut memoratum aliàs, ſit; alia verò acida, & quæ ocyùs in liquorem coaguletur. Idque non magis ſolutione ipſius, quàm compoſitione apertum fit. Quemadmodùm enim, inſtituta per ignem analyſi, hæ duæ partes ſemper emergunt: ita, ſi ſyntheſim ejuſdem moliri placeat, adhibitis, puta Oleo Terebinthinæ deſtillato, & Spiritu Vitrioli, brevi ex deſtillatione per retortam perfectum ſulphur apparebit.

*Sulphuris partes.*

*Sulphur artificiale.*

*Effectus Sulphuris.* Quo in loco, ne modum orationis excedam, ea afferendo, quæ pertinent ad inflammabilitatem, alioſque effectus Sulphuris,

ris, hi enim recenseri magis, quàm intimè explicari posse videntur; sufficiet memorasse, aperiendi, incidendi, concoquendi, emolliendi, celeriter excutiendi, atque exsiccandi præcipuam inesse sulphuri facultatem. Hinc passim apud Medentes in usu maximè est. Neque felicitas insignis medicamentis ferè omnibus è Sulphure, ut decet, paratis deesse solet. Siquidem inprimis Pectori adeò prodest, ut balsamum Pulmorum meritò censeatur. Inde Tussi, Asthmate, ac Phthisi potissimùm vexatis ingens levamen. Pręthereà verò & Nervis prodest, & Hydropem, ut ajunt, frigidum exsiccat, & pituitosos, crassosque flatus dissolvit, & mulieres fœcundat, & Venenatorum animalium morsibus resistit; demùm duris Lichenibus, Pruritui, Lepræ, Solidis Tumoribus, atque aliis hujus generis ferè innumeris summa pernicitate medetur. Extant idcircò Alchandini Siculi carmina, super iis balneis, quibus Sulphur inest.

*Mollificat nervos lavacrum à Sulphure factum;*
*Cessat in hoc scabies; infectaque membra novantur.*
*Fęcundat steriles: capitis, stomachique dolorem*
*Destruit, & lacrymas in lumine stringit aquosas.*
*Ad vomitum prodest, oculos benè reddit acutos:*

Phle-

*Phlegmata dissolvit, febrim cum frigore tollit.*

*Sal Thermarum.* Sal, quem Thermis istis inesse, atque ad salis communis naturam maximè accedere diximus, cujus indolis sit, quasque habeat vires, apertissimum duco. Definiuntur hujusmodi sales, sive describuntur, innuendo, „esse Mineralia quædam Corpora, aqua facilè solubilia, ac denuò in crystallinam, „prioremque formam coagulabilia. *Unde sales pungant.* Sapor iis pungens est, ac penetrans: cujus effectus ratio à figura petitur. Cùm enim Salina corpuscula, uti varia detegunt experimenta, ab aere tenuissimo, & cuncta permeante inflecti, ob quandam ipsorum rigiditatem, minimè queant; necesse est, ut in cuspides erecta linguæ poros ingrediantur, atque altum penetrando, ipsam pungant. Inde ferè evenit, carnes, aliaque satis aptè sale condiri, diùque incorrupta servari. *Cur carnes sale condiantur.* Quippè particulæ salinæ poros carnium punctim, uti dictum, ingressæ, paxillorum instar, singulis eorum partibus defixorum, easdem detinent; impediuntque, ne ab lubricis, & plicatilibus immixtis concutiantur, loco moveantur, atque indè subjectum de more diffluat, & corrumpatur. Hinc quoque & humiditatem tollere sales consueverunt; quòd iidem immoti persistent, aquæ verò particulæ motui tenuissimi aeris facilè obsequantur. Idque salitarum carnium; quod attul-

tullimus, exemplo rursùs patefcit; quas in dies magis indurari, nemo eft, qui non experiatur.

*Salis effectus interni, & externi.* Pronum præfertim ex effectibus colligere, eam hujufmodi falis effe naturam, ut plerumque exficcet, abftergat, diffolvat, purget, Superfluitates confumat, leniter adftringat. penetret, digerat, incidat, ac putredini, venenifque obverfetur. Maximùs propterea apud Medicos cùm internus tùm externus falis ufus eft. Quemadmodùm enim Appetitui proftrato, Colicis coloribus, Alvi, Urinæque obftructionibus, Calculo Renum, cruditatibus Ventriculi, Venenatis, Hydropicis, Ictericis, aliifque fubvenit; ita nequidquam fæpiùs in Ulceribus putridis mundificandis, fimplicibus Tumoribus excutiendis, Sanguine extravafato refolvendo, difcutiendoque, exficcanda Scabie, Pruritu fedando, Venenatorum animalium ictibus fuccurrendo, atque hujus generis alia præftando, vires fuas exerit.

*Terra Thermarum quid præftet?* Nec filentio prætereundum videtur, quod Practicorum hujus ævi eruditiffimus Syuvius de Le boe, Praxeos Medicæ Libro Secundo, Cap. XXIII. num. CCXLVI. de Sale Thermarum habet. Ait enim, fubtilem Salem
„ Thermalium aquarum, quem lixiviofum
„ vocat, & quodammodo volabilitatum, ejus
„ effe virtutis ad fpiritum acidum fummè no-
„ xium coagulandum, ut non modò cæteris
„ in

" in rem eandem adhibitis præſtet medica-
" mentis, verùm etiam fortè unicum præſi-
" dium ſit, ubi ſimile quidpiam agendum ſibi
" medentes ſuſcipiunt.

*Terra Thermarũ quid præſtet.* Terra inſipida, & candida Thermarum ſuccedit; quæ proventu vario deſcriptis in aquis reperitur. Cùm autem, præter inutiles quaſdam particulas, arenulaſque, quas aliquandò duci ab aliquibus horum fontium dictum eſt, mineralibus (uti multiplici conjectura aſſequi datum) venis impuris, atque imperfectis ſcateat; à vero non abhorret, nonnihil operæ, laudiſque in ægritudinibus tollendis huic quoque deberi. Præcipua tamen ejus vis in adſtringendo, atque aciditate nimia temperanda: prætereàque & laxatum tonum partium reſtituere, & viſceribus, modicè eadem ſubadſtringendo, robur addere, atque unà nocentium humorum conatum infringere valet. Hinc ea non abſimilem fortaſsè operam polliceri quis ſibi poſſet, ob quam bolus, creta, corallia, cancrorum oculi, mater perlarum, cornu cervi, & ſimilia in uſum ducuntur. Siquidem quemadmodum hæc, effrænes particulas hauriendo, pravorum fermentorum indolem infringunt, laxatiſque partibus ſubindè medentur, haud ſecùs terræ hujuſce particulæ corpus ingreſſæ; quà opus, atque occaſio fert, non modò reſtituere tonum viſcerum, ſed & acidiſſimos ſuccos, undè crebrò ſanguinis corpuſcula coa-

gu-

gulari contingit, ebibere posse, haud procul omni ratione dixerim. Eodem ferè argumento adducimur ad credendum, exiguam hanc terræ portionem haud modicè tunc quoque prodesse, cùm horum Fontium aquæ externis Ægritudinibus adhibentur.

At nihilominus suspectum hac de causa internum Thermalium omnium aquarum usum summoperè esse, non pauci reperiuntur, qui hisce quoque temporibus asserant. Siquidem cùm Thermales, ut inquiunt, aquæ sabulum, terrestresque alias materias corrosas ferre secum consueverint; fieri minus non posse volunt, quin uti in alveis, ex assiduo Thermarum appulsu, eadem in tophaceam materiem demùm coguntur, ita & ubi corpus ingressa fuerint, sensim congerantur, obcæcatisque meatibus, tandem in interiore aditu viscerum penitùs obrigescant. Sumpta indè occasione, docent acidulas perapte interno usui inservire; Thermas autem externè dumtaxat adhibendas censent. *Thermæ aliquibus obid suspectæ*

Verumtamen aut terræ genus, quod ex iis Fontibus elicitur, qui potui inserviunt, aliud est ab eo, quod culpabile faciunt; aut ea quantitate in iisdem inest, ut nihil indè adversi reformidandum sit; aut demùm rerum aliarum miscella, quin isthæc mala ex hujusmodi aquarum potu proveniant, plurimùm obsistit. Quibus tamen utcunque habenda sit fides, satis fuerit id unum Thermarum *Objectionis solutio.*

con-

contemptoribus obieciſſe, quod nempe adeò abſit, ut hujuſmodi aquarum contenta parietibus vaſorum adhæreſcant, atque indè abſtructiones pariant, ut potiùs nunquam utilius in uſum dicantur, quam cùm adſunt quædam confirmatarum obſtructionum reliquiæ, quæ vix aliis medicamentis tolli anteà potuerint. Præterquamquod facilè captu haudquaquam eſt, quomodò propter exiguam admodum terreſtris materiæ portionem in uſum duci Thermales aquæ, & præſertim eæ, quæ ex Fonte B. Virginis hauriuntur, non debeant, cùm quotidiè à medentibus crocus martis, ejuſdem vitriolum, cremor tartari, tartarum vitriolatum, atque alia hujus ordinis non ſine ſucceſſu adhibeantur: quorum textura quantum ab horum Fontium contentis differat, res ipſa declarat.

*Thermarũ vires;* Rerum, quas attigimus, naturam contemplanti obvium eſt intelligere, quibus plurimùm viribus hæ Thermæ præditæ ſint; non enim aliundè diverſorum, quos edunt, effectuum originem traxere. Quo tamen in loco minimè prætermittendum eſt, quod ſumma cum ratione dixiſſe videtur diligentiſſimus Aquiſgranenſium deſcriptor, Capite XI.

*Ex contentorũ complexu.*
„ nempe, etſi facultates aquarum naturæ
„ contentorum reſpondeant, tamen novam
„ quandam eſſentiam quaſi ſuperadditam
„ ipſa mixtione, aut compoſitione diſſimi-
„ lium mineralium acquirere, qualemque

„ ſin-

„ ſingula contenta ſeorſim ſumpta non ha-
„ beant. Hinc aquas ſæpenumerò ſortiri fa-
„ cultates, & virtutes ſpecialiſſimas natura-
„ les, omnibus elementorum, & ingredien-
„ tium viribus, omnibus ſenſuum conjectu-
„ ris ſuperiores, quæ nonniſi in mirificis
„ effectibus ſeſe prodant.

Patere indè etiam poteſt, cur tam varius veterum Medicorum ſuper his aquis ſermo fuerit. Hi enim variarum actionum imagine permoti, eò demùm provecti ſunt, ut crederent, non virtute tantùm, verùm etiam contentis diſſimiles inter ſe fontes hoſce ſingulos ſtatuendos eſſe. Verumtamen quia mihi, uti memoratum ſæpè fuit, non contentorum numero, ſed unius proportionis titulo inter ſe differre eoſdem multis de cauſis innotuit; ideò cum Ariſtotele, Phyſicorum VII. Capite IV. dicendum crediderim, magis, & minus non mutare ſpeciem, ſed excellentiæ diſcrimen dumtaxat relinquere. Quo verò ad effectuum varietatem, eò rem omnem redire arbitror, ut hæc cùm ad varietatem mixtionis referenda ſit, tùm ad diſſimiles corporum habitus, atque affectiones; omnia enim, ut cùm Chymicorum ingenioſiſſimo, in Arbore „ Vitæ, loquar, in natura recipiuntur per „ modum recipientis, perſonæ, loci, ac cir- „ cumſtantiarum. *Undè varietas effectuum.*

Propterea ut, his miſſis, rei propiùs accedam, duo potiſſimùm his in Thermis animad- *Aqua, & Lutum.*

vertenda veniunt, Aqua ſcilicet, & Lutum: utraque enim in medicum uſum aptiſſimè tranſierunt. Rursùs duplex Aquarum uſus eſt. Siquidem quemadmodum innumeris propemodùm ægritudinibus corporis exteriùs admotæ ſuccurrunt; ita interiùs aſſumptæ mirum in modum Chronicis præſertim morbis obverſantur.

*Interno uſui Fõtes B. Vir. & Aponi inſerviunt.*

Beatæ Virginis, Aponique Fontes interno potiſſimùm uſui dicatos eſſe voluerunt. Reliquos non nimia, uti placitum aliquibus, ſive Nitri, ſive Aluminis, non Aſphalti, Æriſve quantitas ſuſpectos facit; ſed ex inæquali Sulphuris, Saliumque miſcella contingit, ut eadem cum eventus felicitate iis quoque uti non liceat. Notum ſiquidem eſt, in eo verti medicatarum aquarum momentum, ut, quæ eas ingrediuntur, foſſilia, ea quantitate ſubſint, atque ſimul ea ſint ratione comminuta, ac præparata, qua, nullam corpori vim inferendo, valeant ſumma cum partium tolerantia facilè meatus quoslibet trajicere, atque interea optatos ſingulis in locis effectus leniter moliri. Non mirum propterea cæteros Fontes, utpote, ob memoratam in ſuperiori capite ſolutionum, mixtionumque varietatem, æquabili hac contentorum proportione deſtitutos, ſatis tutò non poſſe ægritudinibus internis aptari. Multòque minùs improbandum naturæ conſilium, quòd non eundem ubique miſcellæ ordinem ſervarit; exter-

*Cur reliqui interiùs non adhibeãtur.*

ternis corporum morbis haud raró poſcentibus, ut ea quoque ſuppeterent remedia, quæ ignobiles partes, nec niſi acrioris medicamenti vim perſenſuras, haud fruſtrà tentarent.

Idcircò ut Fontis B. Virginis, ob tenuiſſimi ſpiritus, modicique admodùm cùm Sulphuris, tum Salis mitiſſimas vires, nullus ferè uſus externus eſt; ita internis vaſorum, & viſcerum vitiis tollendis omnimódè aptatur. Hinc cum optimis quibuſque medicatis aquis, quæ uſquam terrarum erumpunt, conferendum eſſe, ejuſdem deſcriptores non omni procùl ratione tradidere. Siquidem cùm illorum medicaminum præſtantiſſimus uſus cenſeatur, quæ naturæ conatus eleganter æmulantur; deberi hanc laudem Fonti B. Virginis præſertim, nemo eorum inficiabitur, qui probè laticis ipſius indolem, lenem operandi modum, &, quód magis eſt, mirandos, ſaluberrimoſque effectus animadverterit. *Fontis B. Virginis uſus internus.*

Sed ut, præcipuum hujuſmodi aquarum munus explicando, ferè omnia complectar, quæ diſceptandi anſam ſcriptoribus ſæpiſſimè tribuerunt; ſumpto ex chronicis, & rebellibus, quos aptè curant, morbis argumento, dicendum putaverim, ſummam actionum earundem eſſe purgationem viſcerum, & lotionem quandam interiorem; qua ductuum vitia, & ſimul depravatorum ſuccorum indolem corrigendo, æquabilem ſingulis in lo- *Summa actionũ hujus Fontis.*

cis circuitum, depurationemque humorum adeò promovent, ut indè altè infixa multarum ægritudinum ſemina demùm eruantur. Neque aut modicum indè corporibus ægrè affectis levamentum, aut ſcribenti arduum oſtendere, quibus ferè de cauſis, quaque ratione id eveniat. Propterea, ut promptior his fides, libebit exemplum aliquod ſubnectere; ex quo, quæ potiſſimùm emolumenta ex hærum aquarum potu ſanguineæ maſſæ ſuperveniant, intelligi aliqua ex parte poſſit.

*Quid optima craſis ſanguinis præſtet.*

Quemadmodum ergo ex optima ſanguinis diatheſi, ex quo ſucci omnes, ſeu primariò, ut dicunt, ſeu ſecundariò, ad varios corporis uſus educuntur, arcanus operationum cùm vitalium, tùm animalium vigor, & longæ vitæ fiducia; ita ex depravata humoris ejuſdem indole, ſqualidus univerſi corporis languor, & pronum exitium. Factum indè, ut natura incolumitati maſſæ ſanguineæ mirum in modum incumberet; hìc diſpoſitis veluti terminis, intra quos aptè conſtituta in ſitu ſuo firmaret; novis illic extructis munimentis, quibus eadem ab impendentibus injuriis tutaretur. Aucta id agendi neceſſitas ſanguinis ipſius diſcrimine multiplici. Quippe ſicuti, ut impendia ejus reparentur, novum in dies excipiat ſuccum, eundemque ritè paratum, ne ſordibus inficiatur, neceſſe eſt; ita & particulas multas juſto craſſiores, atque effœtas poſt plures circuitus redditas, eaſdemque

*Quibus periculis obnoxia ſit.*

oneri,

oneri, atque impedimento futuras, nisi consueta mensura posuerit, contingit facilè, ut paulatim degener factus, à priore puritate summo cum animalis detrimento deflectat. Magna propterea cujuslibet generis organorum multitudine hisce periculis undique provisum esse placuit. Intra quorum multiformes aditus acerrimo quodam transeuntium succorum examine instituto, ea demùm aut trāsmittuntur, aut aliò pellenda detinentur, quæ sui præsentia, absentiave sanguini in naturali statu, motuque servando plurimùm conferunt.

*Secretio, seu colatura.* Quidquid id est, secretionis, & separationis, vel, si magis arridet, colaturæ nomine à medicis nuncupatur. Cujus tamen non una est species; neque enim uniusmodi ea sunt, quæ secerni assiduè necessum est. Cùm enim sanguis sit liquor heterogeneus, id est ex corpusculis varia figura, & magnitudine præditis compositus, quotiescunque per vasa viscerum colatoria transmittitur, quælibet pars ipsius ductum & magnitudine, & figura sibi respondentem adeat, oportet; ac propterea, quod antequam se in illorum intimam substantiam inferret, unum visum fuerat, mutatis in egressu ordine, situ, positura, & configuratione, multiplex, prætereaque colore, sapore, & virtute varium obversatur. *Colaturæ variæ species.* Hinc omnium harum secretionum momentum, in quarum numero etiam eæ recensentur, quæ spectant ad nutritonem, in eo fermè vertitur,

ut diverſis in locis tenuis humoris pars retineatur, craſſa rejecta; in aliis contingat craſſam ſubſiſtere, tenui propulſa; ac demum mirando naturæ artificio comparatum in aliis ſit ut haud pauca corpuſcula, æqualis licèt craſſitiei, ita invicem diſtrahantur, ut, altero excedente, alterum retineatur. Hæc præſtant in primis viſcera omnia, deindè reliquus latè diffuſus glandularum, fibrarumque fiſtuloſarum apparatus; quorum ope omnia cùm utilia corpori, tùm gravia, ferè ex unius ſtructuræ mechanica, uti præ cæteris omni commendatione digniſſimi Marc. Malpigii labore, & vigiliis detectum eſt, nunquam intermiſſis motibus, aut remanent, aut extruduntur.

Muneris excellentiam, neceſſitatemque arguit ingenioſiſſima ipſa, & nondum fortaſsè ſatis intellecta ſtructura organorum; quæ expeditos, nec tamen ultra menſuram ſuam laxos meatus quouſque ſervant, ſecretiones omnes ſecundum vetus naturæ inſtitutum facilè, exactèque contingunt. Hinc ſanguineus liquor, ſeneſcentibus, aut aliis quibuslibet incongruis particulis per occaſiones poſitis, ſervataque, per continuum, æquabilemque intra animalis vaſa motum, ordinata miſtura, & temperie, aſſiduè veluti repubeſcit; quæcunque ex eo ad actiones ſeu vitales, ſeu animales edendas per determinatos ſuccos, fermenta, & ſpiritus decedunt, uſui accommo-

modatissima sunt; sed præsertim omnes eæ partes, quarum nova sanguinis supplementa curare munus est, optimum ubique succum elaborant. Integra indè corporis salus, & obvia passim operationum præstantia, facilitasque.

Veruntamen quò majore animalis emolumento hæc, cùm rectè se habeant, contingunt; eò graviore discrimine pervertuntur. Hinc ubi aliqua de causa, qua nihil facilius, atque vulgarius in humano corpore est, memoratarum secretionum ordo ita conturbetur, ut vel nimia morbificæ materiei vi statim morbus augescat, vel ex neglecto cujuslibet medelæ usu, altas in penetralibus viscerum radices malum paulatim agat; ea demùm atrocitate se prodit, ut non modò sanguinea massa in destinatis locis ab incongrua rerum noxiarum miscella non liberetur, verùm ex visceribus ipsis, quæ præcipua hujus defæcationis organa sunt, nova perpetim labes transeunti sanguini accedat. Neque rei hujus judicium in arcto. Siquidem cùm sæpè ea, quæ diutiùs, quàm æquum est, in secretoriis vasis detinentur, quotidiè magis in deterius labantur, atque ferè in morbosi fermenti naturam assurgant; eò denique calamitatis rem omnem redigunt, ut sanguineus liquor veluti venenato quodam miasmate in ipso transitu subindè inficiatur.

*Mala ex turbatis secretionibus.*

Quibus addendum, quod cùm miscella,

atque temperies partium integralium ſanguinis aliter conſervari, effectus verò ipſius permultis corporis muneribus neceſſarii aliter contingere non poſſint, quàm per aſſiduum, æquabilemque ejuſdem per animalis vaſa quælibet circuitum; quotieſcunque ob memoratam rationem colatoria vaſa variè impedita ſint, & partes eædem integrales ſanguinis plurimo nocentium corpuſculorum inquinamento ab optima temperie deceſſerint, nec ritè per ſingulos ductus ſanguis fluere, & craſim optatam ſervare, nec cæteros præclaros effectus præſtare queit, qui ab hoc perenni, & concinno motu prodire conſueverunt. Cujus rei exemplum videri poteſt apud nunquam ſatis commendatum Jo. Alph. Borellum, Parte ſecunda de Motu Animalium, capite quarto, propoſit. 34. & reliq.

*Plurima inde genera morborum.* Non eſt propterea mirum, actionum omnium ordine his præſertim de cauſis corrupto, Iliadem inde morborum ſæpiſſimè exoriri. Si namque ſuccos, quibus aſſidua ſanguinis impendia reparantur, inſpicias; quid in his naturæ legibus conſonum, cùm quidquid concoquendis alimentis aggeritur, ex impuro, atque infecto ſanguine deceſſerit? Si quæ nutritioni partium inſerviunt; nonnè praviſſimis ſuccis, & incongruo ſalium apparatu infarciri potiùs, ac fędari, quàm nutriri membra dicendum eſt? Si demùm

mùm ea omnia, quæ operationibus præsertim animalibus fundamento sunt; quid, nisi impurus, exlexque spiritus superest, turbandis, quàm perficiendis partium muneribus aptior, atque in eo vel maximè culpandus, quòd quidquid audet, naturæ molestum est? Hinc pleraque lentè sævientium morborum, hinc cùm pituitosæ, & serosæ, tùm biliosæ Cacochymiæ initia: hinc deterrimi corporis habitus, & contumax Febris: hinc cohibitæ cùm in viris, tùm maximè in fœminis noxiorum humorum expurgationes: hinc molestissimi affectus Hypochondriaci cruciatus; hinc Hydrops, & quidquid demùm ob depravatam sanguinis crasim corpora sæpissimè conficere consuevit. Hujusmodi malorum magnitudinem vel una curationum difficultas ostendit: cujus maximum momentum in eo vertitur, quòd non satis prompta remedia suppetunt convellendis funditùs earum ægritudinum radicibus, quæ sensim auctæ, & longo tempore confirmatæ non modò novam in dies singulos malorum segetem emittunt, verùm etiam acerrimis quibusque medentium conatibus resistunt. Nisi in majus aliquandò discrimen ipsa medendi studia vitam adducunt. Quippè dùm præsidiis variè certatur, corpusque medicaminum vi quotidiè magis concutitur; fessis demùm spiritibus, & sanguinis intemperie per diuturnos purgationum labores ad extremum ca-

*Quæ curatu difficillima sunt.*

calamitatis redacta, antè contingit naturam obrui, quàm morbum.

*Quomodo hæc aqua his ægritudinibus medeatur.*

Hoc in rerum articulo quæ, quantaque laus medicato, quem deſcribimus, Fonti deberetur, intellectum eſt. Namque, ubi ad pellendas morborum reliquias ventum fuerit, atque illud integræ ſecuritati deſit, ut nempe ſemina malorum ultimò præcidantur; cæteris omnibus incaſſum cedentibus, diù conflictata morbis corpora integræ ſanitati ejuſdem ope reſtitui, apud nos ferè nemo eſt, qui expertus non fuerit. Quibus autem de cauſis hæc fiant, aſſequi arduum non erit, præſertim ſi pertenui ſpiritu, modicoq; admodùm Sulphure, & Sale, iiſque mirando naturę artificio præparatis, atque commixtis imbutum humorem, cæteroquin ab omni ſuſpectorum mineralium labe repurgatum animadvertamus. His viribus, quæ nullo pacto naturæ graves eſſe queunt, inſtructus, ubi aliorum medicaminum ope latè exundantem pravorum ſuccorum colluviem eduxeris, & veluti aditu facto, craſſas admodùm particulas, nonniſi validioribus conatibus ceſſuras, eliminaveris, quemadmodùm tutò corpus ſubit, ita vacuus ferè nunquam ab opere dimittitur. Facile ſibi, expeditumque iter aqueæ particulæ tenuiſſimis contentorum corpuſculis adjutæ leniter muniunt. Hæ enim ubi in ſegnem, & veluti emortuum ſuccum impingunt, eundem incidunt ſenſim,

com-

comminuuntque; donec vel eodem aquæ torrente rapiatur, vel, si partibus altiùs insederit, paulatim commotus, atque in circularem motum restitutus, per destinata excretoriorum vasorum oscula denique excedat. Interea, dùm hoc ordine, aut obcæcati, aut quavis alia ratione depravati meatus abluuntur, & patefiunt, partium earum fibræ, ad quas humoris ejusdem portio pertingit, non sine summo emolumento his motibus adstant. Quippè sive commota, atque evulsa lentè prodeuntis succi congerie, sive latè exundantis, partesque nimium distendentis serositatis colluvie, præsertim per restitutum sanguinis circuitum æquabilem, extirpata, priorem formam, figuramque affectantes, pristinum tonum ocyùs recuperant; continuòque intermissa summo animalis discrimine munia obire rursùs incipiunt. *Partes ad tonũ suum redeuntes.*

Dùm hæc expediendis viscerum ductibus latè intentantur, cæteris quoque humoribus, quorum proventum prior calamitas variè perverterat, non segnius medicamen accedit. Aqueus enim humor utilissimis huic rei particulis turgens cuncta diluendo, atque modò aciditatem succorum temperando, fermentorum modò indolem quà corrigendo, quà exsuscitando, modò æquabilem rebellium particularum, & præsertim vitiosorum salium, aut mixtionem, & circuitum, aut subitum egressum promovendo, eò actiones *Multa alia corporis emolumenta.*

om-

omnes redigit, ut cùm crassi humores fluxiles fiant, stagnatio eorundem auferatur, & promoveatur transpiratio, tùm superfluæ serositates exitum inveniant, & reliqua ea omnia succedant, quæ sanguini æquabiliter intra vasa permeanti solemnia sunt. Neque vel salium, vel sulphuris motus extimescas. Primò enim quantula eorum, & quàm probè præparata portio suppetit? Deindè, quidquid audeant, adeò circumfusis undique aquæ particulis corrigitur, ut nullo vel sensu præclarissimum munus perficiatur. Subit idcircò ipsius medicati humoris ingenium suspicere. Quippè quemadmodùm contentorum activitatem haud fas pertimescere, cùm eadem tenuia, & modica sint, ad hæc verò humore aqueo blandè irretiantur; ità profectò aquam horrere indignum, cujus cruditati contenta succurrunt, moli, eadem facilè iter aut inveniunt, aut faciunt.

*Cur actio salium, & sulphuris tuta.*

His de causis visum mihi superiùs, aliis Thermarum usibus prætermissis, qui satis doctè à scriptoribus recensentur, præcipuum hujus fontis effectum, purgationem viscerum, internamque lotionem quandam non inconcinnè appellari posse; cujus beneficio ductus internos inprimis facilè expediri, sanguineam massam, nervosum laticem, & reliquos succos mundificari, atque edulcorari, ac propthereà chronicorum præcipuè morborum fundamenta ab imo convel-

li,

li, creberrima experimenta ſatis in hanc diem oſtenderunt. Hinc diutiùs his per ſingula capita recenſendis immorari, inane prorsùs conſilium; cùm præſertim ad earundem operationum, morborumque cenſum ea omnia probè revocari poſsint, quæ veniunt ſub titulo ſive frigidæ, ſive calidæ intemperiei, Ventriculo, Jecori, Renibuſque implantatæ; uti deteſtabili ignavia creditum ab iis, qui temperiem hanc partium aliundè, quàm ab ſuccis per eas tranſeuntibus derivant.

Intereà tamen non abs re fuerit ſingulares quoſdam effectus percurrere, non quidem ſervato ordine omnium ægritudinum, id enim non pauci ſcriptores ſigillatim præſtiterunt; ſed, ratione majoris emolumenti, iis morbis potiſſimùm enumeratis, quibus tutiùs, citiùſque hujuſmodi fontis aqua mederi conſuevit.

*Intemperies, atque obſtructiones viſcerum.*

Itaque illud in primis certo certius eſt, in viſcerum omnium Imtemperiebus, atque Obſtructionibus corrigendis, expediendiſque, propter quas ſæpiſſimè & Capitis plures morbi oriuntur, aquæ B. Virginis uſum ſummoperè & commendari, & utilem eſſe. Hinc ubi hujuſmodi ægritudinibus Meſenterium, Pancreas, Lien, & Jecur præ cæteris laborent, non ſine ſucceſſu ad eandem confugere Practici ſolent. Qua de cauſa crebra ſuppetunt experimenta præſertim Ictericorum, Cachecticorum, Hydropicorumque hujus aquæ

potu

potu penitùs curatorum. Non secùs atque ii experiuntur, qui aut verrucosam faciem habent, aut febriculis inveteratis squalent, aut aliquo ex iis vitiis torquentur, quæ potissimùm fervori Jecoris tribui solent.

*Renum vitia.* Quæ autem in hujusmodi affectibus eveniunt, felicitatem illorum vix excedunt, quæ Renes, Renibusque contexta vasa, nec non Urinariæ viæ omnes percipiunt. Nec mirum eas partes aptissimè curari, ad quas in exitu suo universus ferè humor pertingit. Temperari indè ardores Renum, Gonorrhæam simplicem ocyùs sanari, pleraque alia Renum, Ureterum, & Vesicæ vitia, mictumque præsertim Cruentum tolli, adeò certum experientia fecit, ut probatione nequaquam indigeat. Hinc in Vesicæ affectibus à præclarissimis Practicis summè has Thermas commendari scimus; uti videre est apud diligentissimum Velschium, aliosque rerum medicarum collectores. *Calculi, & sabulum.* Neque segniùs eodem potu Sabulum, & Calculi expelluntur. Cujus rei exempla nullis ferè diebus non contingunt.

*Hypochōdriaci.* Cæterùm tutò his aquis & Hypochondriaci Melancholici committuntur; cum iisque reliqui ferè omnes, quibus sanguis, cæterique utiles succi, à dulci, & balsamica constitutione in acidam, austeram, & ponticam naturam transierunt. Pariter & Colicis doloribus vexati, non raro ibidem medelam in-

inveniunt; nec desunt, qui in aliis plerisque Intestinorum affectibus prosperè potu eodem utantur. Eminet tamen inter reliquos Thermalis hujus aquæ usus in Dyssenteria; in qua molestissimus succus, qui Intestina versus propulsus, vasorum sanguineorum oscula reserando, fibrasque corrumpendo, immania ibidem ulcuscula excitat; mirum in modum ejusdem humoris potu temperatur. Siquidem dùm puris, sanguinis, atque erumpentis circa teterrimi succi, undè exordium mali, proventum præterfluens aqua secum rapit, corrososque Intenstinorum parietes vi contentorum abstergit, atque exsiccat; non modò est in causa, ut fodicans humor, & diù fatigans tenesmus ab læsæ partis confinio decedant, sed fibris ipsis, quà fieri potest, tonum restituendo, serpentes plagas probè jam dilutas figit, comprimit, atque ocyùs obliterat. Eadem ferè de causa quosdam internos Abscessus aliquandò detectos, atque demùm satis aptè expurgatos adnotarunt Practici. Neque silentio prætermittendum videtur, Tumores nonnullos, Schyrros nondum penitùs confirmatos, atque hujus generis alia, post multa remedia incassum adhibita, tandem his aquis emollita fuisse.

*Dyssenteria.*

*Abscessus interni.*

Porrò Ventriculi imbecillitati non rarò indè præsidium quæsitum est: ac ferè semper eo exitu, ut non modò post hujus aquæ usum

*Ventriculi affectus;*

usum assueta stomachi officia redirent; verùm & multò celeriùs, quàm antea consueverant, coctionis muneribus Ægri fungerentur. Haud aliter in iisdem & flatulentia sublata, & vomitiones quædam compositæ, & restitutus appetitus.

*Thoracis;* Pectori autem quantoperè hæc aqua prosit, satis explicari vix potest. Præ cæteris tamen plerosque Asthmaticorum labores ea levari plurimùm, experimur sæpissimè. Si verò sputo sanguinis vexatos inspicias, facilè deprehendes sæpè morbum hunc ita compesci, ut jucundior, tutiorque medela inveniri quibusdam in casibus vix posse videatur.

*Uteri.* Accedunt his & Uteri indè orta emolumenta. Quemadmodum enim partes omnes, ad Uteri munia obeunda accommodatas, detergit, & mundificat; ita, labe ductuum omnium altiùs repurgata, pravos Virginum habitus corrigit, sterilesque jamdiù mulieres singulari quodam genio fœcundat.

*Mēstruorum retentio.* Sed primas huic fonti deferendas non censerem, nisi difficillimo menstruarum purgationum negotio subveniret. Verùm, qua major periculi moles, salutisque desperatio, ibi maximum excellentiæ ejusdem lumen affulget. Nec tamen præcipiti conatu repagula laxari, & infringi; atque indè ancipiti corporis discrimine rem absolvi contingit. Siquidem, dùm sanguineam massam, lentis, visci-

ſcidiſque humoribus inquinatam, atque impeditam attenuat, atque expedit; vaſa ad Uterum pertingentia penetrat, impactoſque in iiſdem ſuccos incidit, expellitque; ad vetus inſtitutum rediens demùm Uterus, eidemque adnexæ partes, quo jamdiù premebantur, ſtatis temporibus pondus demittunt. Hinc doctiſſimus Maſſarias ſummè aquas hujuſmodi commendat in Emanſione menſium adversùs illos, qui auctoritati Avicennæ, Lib.
„ 2. cap. 59. dicentis aquas omnes minerales
„ facere urinæ difficultatem, pariendi, &
„ menſtruorum, innixi, aliter rem ſe habere contendunt. Quippe, utcunque de aliquibus aquis apertè adſtringentibus id verum eſſe poſſit, conſtare experimento, ait, idem nequaquam de omnibus, ac præſertim ſulphureis dici debere; quibus mira aperiendi vis ineſt, & menſtrua purgandi.

*Quomodo hæmorrhagiæ quædã ſupprimantur.*

At cùm ex ejuſdem aquæ potu præſtantiſſimus alius, ut memoratum fuit, effectus emergat, quo præ cæteris ſanguinis ſputum, aliaſque hæmorrhagias felici eventu ſedari deprehenſum eſt; arduum prorsùs intellectu viſum id permultis, ſubeunte admiratione, quomodò eodem ex humore oppoſiti omninò effectus orirentur. Sumpta propterea ab non paucis occaſio ſtatuendi, aliquid etiam huic fonti ineſſe, cujus ope meatus corporis anguſtiores fierent. Sed major indè difficultas exorta: præcluſo veluti afferendi aditu, cui-

nam causæ mirandam incidendi, aperiendique vim, innumeris propemodum in morbis satis conspicuam, assignarent.

*Difficultatis solutio.* Verùm, sicuti in aqua unum semper, & constans agendi principium; ita non ex hujus indole, sed ex dissimilibus morbi causis, dissimilis eventus ratio petenda est. Neque experimenta ostendunt, rem aliter se habere. Quemadmodnm enim crassos, viscidosque succos leniter aperiendo, atque extenuando, detenta revocat menstrua; ita nimiam humorum turgescentiam, atque inconditam vitiosorum salium vim temperando, atque infringendo, id demùm efficit, ut, remisso sanguinis motu, qui priùs in pneumonica, aliaque vasa impetum dederat, cruentæ excretionis occasio deficiat. Quibus addendum, eum in hoc humore operandi ordinem deprehendi, qui naturæ motibus exactè respondeat; & villis præsertim, quibus partes corporis omnes contexuntur, & per quos singula motuum munia variè exercentur, naturalem in statum redigendis summoperè inserviat. Hinc in Emansione menstruorum vasa quidem perluit, ac pervia facit; at fibris, ubi eædem probè constitutæ fuerint, ulteriorem vim inferre nequaquam potest. Nihil propterea obsistit, quò minùs ritè paratus, subactusque humor, per destinata loca, ex veteri naturæ præscripto, & configuratione hiantia, excernatur. At secùs in sanguinis sputo,

to, aliisque hujus generis excretionibus. In quibus vasculis, partim nocuorum salium, partim vi incurrentis ipsius sanguinis diductis medicati humoris appulsus plurimùm succurrit; fibrisque ad tonum redeuntibus, subsidere excernentes sanguinem venas, arteriasue, necessum est. Priore in casu, ubi naturalem statum vasa adepta fuerint, patentia esse debuerunt: in posteriore, vel ex eo, quòd naturalem tonum recuperant, occluduntur. Hos motus, dùm satis illic ex medicatæ aquæ potu extenuati, hìc vitiosis præsertim salibus repurgati succi fuerint, hoc vel uno argumento aptè satis edi posse, consideranti patebit.

Cæterùm, sicuti cruenti præsertim sputi discrimen per has aquas tollitur; ita & immodicus menstrui sanguinis fluxus cohibetur; pariterque & Fluores albi, viscidi, aliique satis concinnè corriguntur. Indè sæpenumerò hujusmodi aquæ in Profluviis muliebribus, & Infæcunditatibus pariter Hypochondriacis ab expertissimo Raymundo Jo. Fort. ingentibus præconiis efferuntur. Idque ex eo ferè contingit, quòd non modò ab incongruis succis, & superfluis, ac vitiosis salibus inquinati sanguinis crasim emendent; verùm etiam, ut nuper ostensum, laxatis præter morem vasculis, Uterum, conterminasque partes percurrentibus, promptè subveniant. *Nimius menstruorum fluxus.*

Quoniam autem dolendum illud sæpissimè *Gallicis nõ nocet.*

in ægrotantibus animadvertimus, Gallicam nempè Luem reliquis incommodis accedere; ſcitu dignum ſummoperè eſt, hujuſmodi potum tutò, utiliterque Lue eadem infectis præſcribi. Cujus rei cauſam indè petendam eſſe ſuſpicor, quòd hujus aquæ ſales acidiſſimis particulis, undè ſæviſſima hujus morbi ſymptomata originem ſæpiſſimè trahunt, plurimùm adverſentur; atque intereà coagulati ſanguinis grumis diſſipatis, ſucci omnes ad æquabilem circuitum redeant; iidemque per deſtinata loca ab incongrua vitioſorum ſalium miſcella liberentur.

*Dyſcraſię omnes viſcerū, & humorum.*

Hæc ferè ſunt, quibus B. Virginis aqua mederi plurimùm conſuevit. Reliqua vel facilè ad memoratos affectus referuntur; vel etſi ea non ſint, quibus potus idem omninò adverſetur; tamen, ut unica ratione cuncta complectar, viſcerum, ſanguiniſque dyſcraſia per eundem ſublata, ægritudines propè innumeras, amputatis veluti radicibus, funditùs auferri, quotidianę oſtendunt obſervationes. Sed de his ſatis Scriptores.

*Optima hujus aquę condicio.*

Cui nihilominùs tractationi antequam finem impono, animadvertiſſe liceat, vel indè hujus fontis exiſtimationem plurimùm augeri, quòd, ubi ſolers medicus cuncta ad opus accomodata congeſſerit, non modò ſalubri eventu paſſim adhibetur; verùm, quod magis eſt, nullam in corpore non ſolùm labem, ſed ne labis ſuſpicionem quidem re-

lin-

linquit. Mirari propterea subit incredibilem nonnullorum in acidularum potu ad omnes ferè enumeratos affectus statim præscribendo seu libidinem, seu facilitatem; cùm eleganti omninò, tutoque usque ad aliarum regionum invidiam fonte gaudeamus. Sed aut peregrinarum mercium, ut moris est, studio fallimur, aut præcipites eventus magis placent. Intereà morborum plurimi, quibus hìc non rarò accommodatissimum, tutissimumque remedium suppeteret, ad alienas piscinas transmittuntur, veluti pretium exitus ab externis medicamentis reportaturi. Nec me susceptæ defensionis amor fallit. Quippè tristes eventus, quorum numerus in hanc diem multùm excrevit, & quorum causam persequi hìc visum non est, satis grande veritatis hujus documentum sunt.

Scio quid potissimùm objiciant: displicere infensam capiti miscellam sulphuris; impleri indè cerebrum vaporibus, obtundi spirituum animalium robur, indolem depravari; gliscere interea defluxionum materiem, morbumque alterum primo deteriorem induci. At ineptam exigui admodum sulphuris, hujusque probè subacti, cum vitriolo comparationem ut sileam, quàm levia hæc sint, vel hinc expertissimi viri videant, quòd sicuti plerique acidularum fontes à sulphure nihilominus immunes omninò non sunt; ita cri-

minatio quanta eſt, indè exoritur, quoniam ex præpoſtero, & inconſiderato uſu, atque omnibus, uti decet, antea non præparatis, atque diſpoſitis, res ſecundùm vota non contingunt. Quo tamen in loco concesserim facilè, non deeſſe Thermas ſulphureo corpore ſaturatiores, quæque abſque memoratis effectibus adhiberi nequeant. Veruntamen alia fontis, de quo agimus, condicio eſt. Siquidem, ubi Practici quantum, & quandò opus eſt, eodem utantur, nullus eſt ambigendi locus, quin non modò nihil indè detrimenti pati ægrotantes poſſint, verùm per compendia ſæpiſſimè inveterati, & contumaces morbi radicitùs convellantur. Cæterùm nil mirum, ex promiſcuo etiam lenium harum aquarum potu aliqua incommoda ægris ſupervenire. Ex quo enim medicamento ſalus, niſi probè eodem utaris?

*Fons Aponi.* Aponenſium aquarum internum uſum his accenſere, fert animus; quo tamen in deſcribendo opus non erit multùm temporis terere, præſertim cùm, quò ad contentorum numerum, novi quidquam non occurrat. Una ab eorundem gradu diſpari, diſpar indè actio proficiſcitur. Quippè, cùm magis cùm ſulphure, tùm ſale turgeant, activitatem nuper deſcripti fontis multùm excellunt. Apertiſſimum eſt idcircò, iis ab affectibus hujuſmodi aquæ potum indicari, quos major morbificæ cauſæ cumulus obſidet, quemque ex-

pe-

pedire, nonnisi per medicamenta paulò validiora, queas. Hoc namque in rerum discrimine, quemadmodum vix aliud subsidii genus magnitudo, atque indoles morbi postulant; ita, præsente morbificæ materiei apparatu, non contingit alias partes ullo affici detrimento.

Verùm cæteros effectus omnes, qui prosperè ex hac Thermopotatione eveniunt, excellit felicitas, quam Thoracis morbis laborantes, & vel purulenta expuentes, indè experiuntur. Duplex in hisce veluti munimentum adversùs ingruens malum. Quippè, si corruptos succos inspicias, quibus labefactari Pulmonum parenchyma est in proclivi, hi perpetim ab ingesto humore eluuntur, &, quà altiùs vasculis insident, tandiù attenuantur, donec excedant. Si verò corruptionis rationem consideres, quid huic etuendæ aptius humore infecta corpuscula à sanis dissociante, atque intereà toti massæ sanguineæ novum veluti fermentum inspirante? Rem perficit demùm, balsamum Pulmonum, Sulphur; cujus, quæ agendi ratio, quis ordo fiet, nulli incompertum est.

*Thoracis morbi, &*

Neque his Ventriculus bonis arcetur; præsertim si in partibus eundem componentibus, & primæ coctionis muneri destinatis, degeneris succi suburra stabuletur. Quippè postquàm, quod pronum Aponensibus aquis, pravi humoris congestio dissipata fuerit, fi-

*Ventriculi.*

bræ membranas ventriculi constituentes, denuò confirmatæ, ad assueta munia revertuntur; indèque sicuti nihil admittitur fermentum ejusdem turbaturum, ita nihil ab ingesto alimento subsistit, futurum impedimento proximè succedentibus coctionibus.

*Uteri, & viscerum affectus.* Eadem alluvione morbi laborans Uterus, & cum Utero non rarò Lien, Jecur, & Renes, quæque Renibus proxima loca, atque ab ipsis decedentia vasa sunt, eodem argumento curantur. Nec secùs evenit in Intestinis, ob depravatorum succorum vim dolore aliquo vexatis. Prætereaque, quemadmodùm Uteri fluorem pervicacissimum intercipi, ita & Urinæ incontinentiam, eo præcipuè in casu, in quo, qui Vesicæ foribus præest, musculus resolvitur, feliciter emendari, testis est experientia. Non desunt, qui & adversùs Hydropem, Ischiadicum affectum, simulque contra Catarrhos, Paralysim, Surditates Aurium, atque his similes morbos, à causa, ut ajunt, frigida, & humida productos, demum & corpulentiam nimiam efficacissimum inde remedium polliceantur.

*Aquæ S. Petri cur non adhibeātur.* Adhuc qui ex Patavinis fontibus internum in usum aquas S. Petri revocarent, non defuere. His quemadmodùm minorem, quàm in Aponensi balneo, sulphuris portionem, ita salis plurimum inesse, crebris experimentis innotuit. Quibus propterea morbis conveniant, ex superioribus apertum fit. Licèt autem

tem

tem ab antiquis practicis, ubi nimiam, quemadmodùm inquiunt, calefactionem ex Aponensibus aquis pertimescerent, sæpissimè ægrotantibus præberentur; nunc nihilominus internus ejusdem humoris usus penitùs exsolevit. Porrò reliquos fontes omnes ad potus usum non adhiberi indè ferè contingit, quòd quemadmodum nihil ex his, utpote eorundem fossilium miscella præditis, haberi potest, quod aptissimè Aponi, sed præsertim B. Virginis aquæ non præstent; ita cùm Sulphuris, tùm Salis inæqualis commixtio efficit, ut promptiùs externis, quàm internis ægritudinibus aptentur. Hæcque ferè de interno usu Thermarum.

*Externus harum aquarum usus.*

Quomodò autem externis corporum morbis omnes hi fontes medeantur, reperire in promptu est. Primò namque, si ea animadvertamus, quæ extimarum omninò partium vitia sunt; cùm plerumque ab excrementis crassioribus, motu sanguinis circulari adjuvante, in extremas vasculorum oras, iisque appositas glandulas actis, oriantur: fieri minùs vix potest, quin, ritè admoto thermali humore, plurimùm dissipentur. Siquidem dùm aqueus humor, salis, sulphurisque corpusculis instructus, poros circa subit, atque interstitia quæque fibrarum penetrat, quidquid ibidem collectum est, emolliatur, incidatur, discutiaturque, necesse est. Hinc impedimenta amoventur, crassi, & lenti humo-

mores fluxiles fiunt, stagnatio prohibetur, patens transpirationi via sternitur, ac simul superfluæ serositates dissipantur; adeò ut, quæ antea noxia plurimùm erant, partim thermalis ipsius aquæ vi disiiciantur, partim per excretoria vascula brevì se foras proripiant.

Eodem ferè ritu Crustæ, squamosa, callosaque Ulcera, leprosa, & prurignosa Scabies, Herpetes, Ramices varicosi, seu Herniæ varicosæ, atque hujus generis alia, ubi ritè cùm paratum corpus fuerit, tùm balneum admotum sæpissimè obliterantur. Porrò insignem, quam altiùs penetrando, crassosque, & frigidos humores, interiùs impactos, attenuando, & consumendo, præsertim in Catarrhalibus affectibus, Hemiplegia, *Nervorum affectus.* Tremore, doloribus Chronicis sedandis, contractis, induratis, aut ressolutis Nervis pristinum in statum redigendis, nec non fœcundandis mulieribus, operam præstant, sulphuri potissimùm debent. Hoc namque, ubi leniter se, altumque in læsa membra insinuaverit, noxiam materiem mulcet, ac loco exturbat, serosam colluviem exhaurit, filamenta deindè partium tandiù fovet, dùm ad assuetos motus revertantur. Neque arduum erit, ejusdem aquæ auxilio, ædematosos reliquos Tumores, singulis in partibus assurgentes, comminuere, atque disjicere. Quibus expeditis, ea etiamdum mensura aspersione,

stil-

ſtillicidio, immerſione, vel alio quolibet ordine, uti thermali humore licet, qua membrorum fibris, diuturna morboſi ſucci mole, pondereque laxatis, firmamentum accedat, roburque ſuum,

*Fiſtulæ ani.* Neque prætermittendum eſt, magno cum emolumento cùm per inſeſſionem, tùm per enemata, hujuſmodi aquas adhiberi in Ulceribus Inteſtinorum, & præſertim iis, quæ habentur è fiſtulis in Ano. Propterea doctiſſimus Hieronymus Fabricius ab Aqua pendente, Chirurgiæ univerſalis Libro 3. capite 12. facta, ait inciſione, & callo ablato, „ peculiariter in hiſce Fiſtulis aquas Thermales enematum forma in anum infundo, & „ ex iiſdem aquis inſeſſus parari jubeo; tùm „ ut ulcus intra inteſtinum ſiccetur, tùm ut omnes etiam partes circumjacentes ſiccando „ roborentur, ne in poſterum tam promptè „ humorum colluviem recipiant.

*Quibus balnea non conveniant.* Cæterùm ſummoperè cavendum, ne, nulla ætatum, atque habituum habita ratione, omnibus balnea, etſi memoratæ ægritudines adſint, præſcribantur. Atque in primis ſciendum, nec pueris, nec ſenibus, nec mulieribus quibuſdam, ac præſertim juvenculis, ob carnes nimium molles, balneationem prodeſſe, unde:

*Fontes Aponi rudes puellis:*

Martialis appellat. Pariter gracilibus, coitu debilibus, iiſque, qui vel Febri, vel angu-

gu-

gustia Thoracis, vel quibusdam sanguinis excretionibus, vel Schyrris exquisitis laborant, balnea eadem plerumque non conducunt. Immo fit sæpenumero, ut hujusmodi habitudine præditi balneis hisce potiùs lædantur.

*Luti facultas.* Quod reliquum, non aliter Lutum earundem aquarum sive emolliendi, digerendi, & resolvendi, sive discutiendi, & exsiccandi, sive roborandi munere fungitur. Propterea in Imbecillitatibus membrorum, in non paucis Tumoribus Schyrrosis, in Articularibus doloribus, & Scabie, sed potissimùm in Nervorum affectibus summè à Practicis commendatur; & præsertim ab Cl. Raymundo Jo. Fort. passim in Consult. & Respons. Medic. Est quoque locus apud eximium, & nunquam satis laudatum rerum medicarum Collectorem Petrum Forestum, Observationum Libro X. observ. 85. ubi egregiè ad Paralysim horum balneorum lutum conducere, ait; idque à se, cùm Patavii esset, & visu probatum fuisse, testatur.

*Lutum D. Bartholomei & reliqua.* Cæterum eminet inter reliqua, vi emolliendi, Cœnum, quod juxta D. Bartholomæi Fontem de industria asservatur. Id namque ubi convulsione aliqua vexatis, atque induratis membris admoveas, vix unquam decipi spem ægrotantis, invenies. Validiùs rem iisdem, aliisque etiam in affectibus peragit, cùm emolliendo, tùm digerendo, quod ex Montis

Or-

Orthoni fonte eruitur; cujus nihilominus vis, præsertim resolvendo, à B. Helenæ lutis superari creditur. Adhuc verò, quæ cùm ab Montis Ægrotorum, tùm S. Petri balneis habentur, excellunt; quòd nempè aquarum suarum naturæ respondeant, atque idcircò sulphure, salibusque majore mensura imbuantur.

Orta indè plurimorum sententia, ad singulares morbos curandos unumquoque ex his seorsim adhibendum esse; idque non ab operandi ordine, verùm ab ipsis fossilium generibus, quæ vix non ubique, uti memoratum, dissimilia inter se veteres scriptores statuerunt, petitum est. Placitum propterea, alia quidem emollire dumtaxat, ut Lutum D. Bartholomæi; alia modicis viribus emolliendi, digerendique prædita esse, ut M. Orthoni; efficaciùs his agere D. Helenæ cœnum, cui non modò emolliendi, sed & resolvendi facultas assignata est; intensè verò siccando, roborandoque cùm Ægrotorum Montis, tùm S. Petri Lutum munus quodque suum absolvere. Qua quidem in re æquo animo, qui id docent, ferendi essent, dummodo ex eo non sumerent causam id asserendi, quod hìc ab Sulphure, Bitumine, aut Asphalto, illic ab Alumine, Calce, Gypsoque, aliisque in locis ab variis rerum aliarum generibus, & præsertim Nitro, variorum effectuum causæ foveantur.

Sed ne horum conjecturis refellendis diutiùs immoremur, sufficiat dixisse, neque dissimiles *Undè varietas effectuum.*

miles

miles cæni horum Fontium effectus instituto aliàs proposito derogare quidquam ullatenùs posse. Quippe quis inficiabitur, ubi tenui, & modico penitus Sale, cæterùm ritè parato sulphure lutum scateat, impactam membris materiem commotam dumtaxat, & paulùm comminutam iri? Nihil propterea in hoc sensso obstat, quin emollitam partem fuisse, pronuncies. At si uberiore proventu utrumque ex enumeratis fossilibus subsit in cæno; nonnè conspicuum est, congestos iisdem in membris succos non modò altiùs misceri, sed fundi, & aliquatenùs dissipari? Hoc concesso, nihil interest, an calefaciendi, & resolvendi facultatem, vel aliam quamlibet hujusmodi in medium afferas. Neque, ultrà si pergas, nova rei imago obversabitur. Quippè, ubi ad summas vires, ob majorem contentorum mensuram evectum fuerit Lutum, quæ memoravimus, per compendia efficiet, stagnantes, condensatosque humores non modò emolliendo, resolvendo, & dissipando, sed & tonum partis ocyùs restituendo. Exsiccatio indè, ut inquiunt, & roboratio membrorum.

*Quis ordo prosit in Luti usu.*

Hæc cùm hujusmodi tantùm ratione, atque intelligendi ordine à veritate absona non sint; inficias ire non ausim, servandum in Luti usu ordinem, atque à moderato, clementique ad validius deveniendum; ne primo statim in limine contrà instituta, præceptumque

na-

naturæ ad extremos nisus confugias. Addendum, non omnibus morbis ultimos conatus aptari; propterea que in aliis, ubi prima, & mitissima remedia tentata fuerint, in iisdem standum esse. In aliis verò eo ordine procedendum, ut per gradus ad summa pervenias; in iisque tandiù perseveres, dùm contumax materies omninò discussa; pars verò, in quam morbifici succi onus incubuit, ad pristinum robur redacta fuerit.



De

# *De Thermarum Patavinarum Usu tàm Interno, quàm Externo.*

## CAPUT VIII.

*Recta administratio medicamentorũ summè necessaria.*

QUemadmodum non omne medicaminum genus cuilibet Morbo resistere, ita nec, quòd ritè pellendo morbo convenit, qualibet ratione adhibitum, vires suas secundùm vota exercere consuevit. Hinc sæpissimè universum medendi momentum in eo vertitur, ut præsidiis, quæ passim natura construxit, ordine quodam, & dispositione utaris; quem ubi modum excesseris; non modò labor frustrà concedet, sed vel præstantissima medicamenta in exitium vertentur. Hæc mala solemnia iis, qui, sive ignavè, sive de incuria, promiscuè remedia præscribunt: ex præpostero enim medelæ usu, eventuum ordine inverso, non modò ingrata omnia, atque inutilia, sed perniciosa sępiùs experiuntur. Nihilo mitiorem exitum intempestivus, inordinatusque Thermalium aqua-

aquarum usus inferre solet, uti videri passim apud practicos potest; potissimùm si vel corpus, vel constitutio morbi hujusmodi remedii operam abnuant. Factum propterea, ut à potu Thermarum, quòd multa ex eodem infensissima symptomata exorirentur, aliquandò homines abhorrerent. Sed postquam experimento deprehensum, hanc non medicamenti, verùm medentis culpam esse; communi consensu sancitum, satis, ubi uti scias, tutas Thermales aquas esse, nec modò tutas, sed & pellendis morbis summoperè accommodatas. *Item Thermalium aquarũ.*

His de causis, postquam singula, quæ in Patavinis Fontibus animadvertenda occurrunt, contracta oratione perstrinxi, visum est nonnulla de ritu, quo iisdem uti conveniat, adnectere. Neque enim opus persequi singula: cùm & ordinem, quem per experimenta utilem cognoverunt, satis accuratè scriptores expresserint, & nullus ferè sit Practicus, cui singularis aliqua methodus non placeat. Indè uti indignum iis fidem demere, quæ longo usu probata sunt, ita superfluum circa id diù immorari, quod aliàs prolixa oratione, & multis exemplis descriptum.

Itaque, ut à Thermopotantium regimine, paucis rem confecturus, exordiar, quotiescunque omnibus numeris absolutum indicans præcedat, è contra verò non puerilis ætas, aut corpus senio confectum, non gracilis omni- *Thermopotã-tium regimen.*

mninò habitus, & molesti febrium insultus, non inflammatio, non dolor, atque imbecillitas capitis summa, vel quid simile obsistat, maxima salutis spe ad aquarum usum transeundum est. Nec tamen quacunque anni tempestate, & multò minùs ex abrupto, iis scilicet omissis, quæ cùm crassissimos succos educere, tùm viam aquis sternere valent, thermopotationem inchoare tutum censetur. Proptereà, juxta nocentium humorum indolem, corpore, uti decet, diligenter purgato, conandum summoperè inprimis, ne in molestissima anni tempora incidamus. Aptissimum operi ver, cui succedit autumnus: & quamvis æstate quoque licere ad potandas hujuscemodi aquas ægros mittere, non unius Scriptoris sententia sit; cavendum tamen, ne, æstu maximè sæviente, corpora lædantur.

*Qua tẽpestate instituì debeat.*

Hyeme quoque profuisse hujusmodi potum, sunt, qui asserant. At quoniam ob Thermopotationem hoc anni tempore institutam, molestissima quædam symptomata sæpissimè animadverterunt Practici; ideò hujusmodi remedium, rigente hyeme, omni conatu declinandum est. Rei hujus exemplum apertissimum in se ipso exhibet doctissimus Gabriel Falloppius; qui nimia ductus fiducia, cùm brumæ tempore thermales aquas bibisset, non modò easdem non excrevisse se, verùm brevì in immanem adeò cruris utrius-

que

que convulsionem incidisse refert, ut omnem omninò motum amiserit. Cæterùm quemadmodum quidquid de bixestili anno, festisq; diebus circumfertur, fabulam olet; ità quotiescunque præceps morbus moras non patitur, per compendia curandum est, ut calidissimas, frigidissimasque anni tempestates, quoad fieri potest, ægri devitent. Has ubi exceperis, quodlibet ferè anni tempus, dùm agendi opportunitas adsit, & aeris ratio summa habeatur, potandis aquis accommodatum erit.

Porrò, quo loco Thermales aquas assumpseris, plurimùm refert. Habet enim quiddam in se recens è scaturigine eductus humor, per quod & aptiùs ad destinata loca confluit, & promptiùs laborantibus visceribus opem ferre videtur. An verò, quo tempore aqua potatur, lenientibus Syrupis, vel diureticis medicamentis standum sit, indicat morbus; cui plurimùm per Alvum, sive per Urinarias vias excerni eandem, confert. Sæpissimè tamen, dùm amplissimos, & contumaces morbos tollere animus fert, is ordo servari consuevit, ut primis diebus aquæ haustum leniens aliquis syrupus, vel manna, vel aliqua alia hujusmodi potio præcedat. Quo peracto, ubi urinarias quoque vias expeditas esse constet, per eas aquam ducimus. Id autem ut tutiùs eveniat, dimisso Syrupo, primis poculis aut Succus Limonum, aut Spi-

*Juxta scaturiginem assumēdæ aquæ.*

*Ordo bibendi easdem.*

ritus Salis, aut Spiritus Vitrioli, aut Sp. Tart. rectific. Terebentinæve guttæ aliquot aptissimè permiscentur. Sunt, qui Aquæ Ononidis, Aspargum, ex Siliquis Fabarum, aut Alchechengi haustum, eademque ratione vel Dauci, vel diuretica alia semina, immò & Terebentinam ipsam lotam non sine successu præmittant.

*Cur repetenda per vices purgatio.* Intereà expedit, sexto, septimo, vel octavo quoque die, prout ex ægri habitu colligere datum est, lene aliquod pharmacum exhibere. Cujus rei ratio in eo ferè sita est, quòd cùm ex interna vasorum, & viscerum selotione haud pauca excrementa, antiquis sedibus evulsa, in unum congerantur; prudentis est, veluti detracto onere, naturam ocyùs levare; & vias intimiùs aperiendo, aquæ facultatem ulteriùs elicere. Ortum eadem de causa præceptum, quo cavetur, ne sine pharmaco Thermopotatio claudatur.

*Qua mensura præscribendus sit potus.* Quo verò ad assumendæ aquæ mensuram, non varia modo hæc secundum morbi genera, atque ægri vires; sed & pro dispari præscribentium usu multiplex est. Maxima tamen pars Medentium à sex, vel septem ferè librarum quantitate exorditur; vel, si imbecillis æger sit, quatuor cum aquæ libris inchoat purgationem. Poculorum indè numero in dies sensim aucto, ad duplam quantitatem juvat ascendere. Quò ubi perventum fuerit, ob fessas laborantis in tanta humoris

col-

colluvie vires, intutum plerumque eſt eadem in aquæ menſura diù immorari. Propterеà, ordine eodem à propoſita quantitate recedendo, ad primam doſim reverti conſuevimus.

Quo tamen in loco ſciendum eſt, re vera nullas ſatis certas, ac determinatas quantitatis regulas deſcribi poſſe, cùm eædem ferè ſemper aptari debeant illorum habitibus, quibus purgationes per has aquas præſcribuntur. Immò crediderim ſummopere nonnullos decipi, quibus, cùm morbi, tùm ægrotantis ſtatu minimè penſitato, conſuetam menſuram, etſi res aliud poſtulet, non minuere, non augere, ſummum, & conſtans præceptum eſt.

*Quot dierum ſpatium dandū Thermopotationi.*

Quot dies Thermopotationibus impendere neceſſe ſit, pariter ſtatuere arduum. Siquidem ſicuti alii intra decem, aut quindecim dies ſubſiſtunt; ita non deſunt, qui terminos hoſce prolatantes ad viginti, triginta, & ampliùs aſcendant. At index temporis morbus, ægrique tolerantia. Ubi enim nec grave ægrotanti onus aquarum; nec morbo ex aliquot dierum mora aptum ſatis remedium ſuppetere poſſe, conjectare licet; nihil vetat, quo minùs Thermopotationem tandiù producas, dùm neceſſitatibus ægri abundè ſubventum ſit.

*Aponenſes aquę cautè adhibēdę.*

Cùm autem ejus naturæ ſint morbi, ut aſſiduum, plenumque aquarum uſum haud

postulent, tunc parcè, atque, si opus fuerit, interposito dierum aliquot intervallo, eas assumere decet. Notat propterea Forestus Lib. 25. observ. 37. Thermales aquas, si quibusdam in morbis bibantur continuis diebus, ulcera parare, & cruentam urinam. Quorum omnium etsi nulla ferè suspicio in Fonte B. Virginis, maximè tamen in Aponensibus aquis habenda ratio est. Experimento enim cognitum, & confirmatum habemus, non conducere per multos dies hasce in usum trahere; immò & id agere plurimi consueverunt, ut crebrò idoneis in hanc rem syrupis, lenientibusque patentiorem aquis iisdem viam sternant; undè & optatos effectus tutiùs oriri sæpissimè adnotarunt.

Cæterùm & medicamenti ingenio summè convenit corpus aptari. Hinc quemadmodum, ante aquæ haustum, ægrum decet leniter se exercere, ita & inter bibendum crebras subindè moras injicere, atque interea lentè expatiari: hoc tamen diligenter ubique servato, ne nimio deambulandi labore corpus incalescat. Sicuti enim ex clementi motu facilior ad corporis penetralia quæque humoris appulsus; ita ex incalescentia, munerum internorum confusio, atque aquæ usus inversus. Aquæ quantitate, maxima saltem, neque enim indicia desunt, ex quibus decessisse humorem intelli-

li-

ligas, excreta, prandere libet; accomodatissimo in hanc rem victus regimine servato. Tuncque muneribus demittendæ aquæ perfunctum corpus quiete refovendum est.

*Quid agendum, si symptoma aliquod ingruat.*

Hæc nisi sperata felicitate contingant, sed vel retentio aquæ, vel pertinax vomitus, vel lassitudo, vel convulsio, vel aliquod aliud symptoma exoriatur, duo præcipuè procuranda veniunt. Quippe vel conandum est, ut si, intra corpus substiterit aqua, appositis medicamentis educatur; vel, nisi substiterit, symptomatum causæ auferantur. Id ulteriore purgatione, validioribusque aperientibus præsertim haberi volunt. Reliquis verò levibus symptomatis per occasiones vel medicamentis, vel alio diætæ ordine occurrendum est: quippè, iis demùm ablatis, felicissimus ex Thermopotatione eventus exoritur. Prostant propterea apud multos, sed præ cæteris apud diligentissimum Cockelium, consilio XXX. remedia haud pauca, quibus cùm vim hujusmodi aquarum pro morborum varietate adjuvare, tùm variis ex earundem potu ortis symptomatis obviam ire valeamus.

*In cibis, & potibus hæ aquę nō assumēdę.*

Quo in loco silentio prætermittere non queo, magno eos omnes in errore versari, qui aut in cibariis, aut in potibus hujusmodi aquas assumunt. Ut enim exitiabilem medicamenti cum alimento confusionem, aliaque argumenta id improbantia sileamus; multò

magis hunc errorem damnant eventus aquarum in iis, qui id aggredi veriti non ſunt. Sæpè enim moleſtiſſimi humorum tumultus, difficultates urinæ, inflammationes viſcerum, alvi fluxus immodici, nec non ſanguinis excretiones, aliaque non leviora his indè exorta fuiſſe, experimento deprehenſum eſt. Quibus de cauſis eò adducitur Baccius, Libro Secundo, Capite XIX. ut credat, locum
„ Hippocratis in Libro de Aer. Aq. & Lo-
„ cis, ubi ait, calidæ aquæ, aut ubi ferrum
„ naſcitur, aut æs, aut argentum, aut au-
„ rum, aut ſulphur, aut bitumen, aut alu-
„ men, aut nitrum, omnes duræ, & æſtuo-
„ ſæ, quæ & difficulter minguntur, & ad al-
„ vi egeſtionem ſunt contrariæ, &c. ita eſſe intelligendum, ut tunc hæc mala prodeant, cùm non jure balnei, ac medicamenti in uſum ducuntur; ſed cùm aut cibis, aut potibus ineptè permiſcentur.

*Duplex Thermarũ uſus externus*

Porrò Thermalium aquarum externus uſus multiplex eſt; cùm tamen balneandi ratio principem locum obtineat, duplicem potiſſimùm ob cauſam eadem adhiberi poteſt. Quippè alia voluptatis, alia medicamenti gratia inſtituitur. Et primò quidem voluptatis cauſa frequentatas olim Thermas fuiſſe, vel id oſtendit, quòd Odyſſeæ Libro VII. inter voluptuariæ vitæ delicias, eaſdem Homerus retulerit. Hinc quoque elegantiſſimè Pontanus:

*Quid*

*Quid Thermæ, nisi lene, molle, mite?*
*Hic fas est juveni, hic licet puellæ*
*Certatim teneros inire lusus.*
*Hic & basia, morsiunculasque*
*Subreptim dare, mutuos fovere*
*Amplexus licet, & jocari:*
*Hanc legem sibi Balneæ edidere.*

Immò Thermarum licentiam usque eò provectam aliquandò fuisse scimus, ut variè eidem magistratus animadverterint, nec non leges aliquæ latæ fuerint, quibus præsertim cavebatur, ne communia virorum, fœminarumque lavacra essent. Utcunque tamen veteres balneandi luxui adeò indulserint, sicuti hic mos apud nos vix tantùm non exolevit, ita illud extra omnem dubitationis aleam positum est, sanis non modò non conducere Thermas ingredi, verùm sæpè eosdem à balneis ægritudines varias, easque gravissimas contrahere. Ortum indè dictum, reservandas ægris hujusmodi delicias esse, sanis autem propiora alia, atque tutiora oblectamenta quærenda.

Ubi autem ad variarum ægritudinum incommoda auferenda balneum harum aquarum adhibetur, non unus ejusdem usus esse queit. Siquidem, uti res, & occasio postulant, sudandi, lavandi, detergendique causa solet adhiberi. Hæc autem uti, cùm ritè instituuntur, maximè prodesse corporibus queunt, undè balneorum, uti ajunt, miracula; *Quot modis corpori admoveantur.*

ita

ita ubi, sive inopportunè, sive repugnante morbo, sive invita natura, præscribi eadem contingat, ferè nunquam periculo vacare solent. Itaque cùm morbus adsit, cui plurimùm hujusmodi balnea adversentur, absint impedimenta jam memorata, corpus verò ægri, & temporis ratio præsertim, uti hyems se habet, ejusdem usum minimè interdicant, & egregiè præscribimus balneationem, & prospero eventu eandem claudimus.

*Purgatio ante balneũ.* Priùs tamen ritè purgentur corpora, necessum est; immò, si verum Practicorum plerique, inter quos præsertim doctissimus Baccius, Libro II. de Thermis, Cap. XII. memorant, multò diligentiùs, quàm cùm Thermopotatio instituitur. Quo ea ratione perfecto, ut in percommoda tempora incidamus, ut sunt hinc Aprilis, Majus, & Junius, indè pars Augusti, September, atque October, habito ratione morbi balnei delectu, aggredi licet balneationis opus; idemque singulis diebus paulò post solis ortum, ac post excrementa alvi, vesicæ, narium, pectorisque, quà fieri potest, demissa, repetere.

*Regimen balneantium.* Porrò accuratum ipsius balneationis regimen pellendo morbo summoperè conducit. Uti enim, pro ratione affectarum partium, variè insidere balneis oportet; ita & illud Hippocratis servandum est præ reliquis, quod in 3. de Ratione Victus legitur: nem„pè ægrum balneum ingressum, debere com-

„ po-

„ ponere ſeſe, & tacere, & nihil agere. Intereà animadvertendus caloris gradus, ne vel morbus immodico calore augeſcat, vel vires ægri fortè collabantur. Immò, ut detrimenti ſuſpicio aliqua ex parte auferatur, qui intùs medicamento aliquo vires addant, extra verò unguento ad rem apto Renes, Hepar, aliaſque, prout occaſio fert, partes inungant, non deſunt.

Moræ menſura, nec non dierum numerus, qui conveniat, ab ætate, temperamento, morbo, & ſimilibus colligitur. Pariter verò ex ægri ipſius habitu judicare facilè licet, ſemel, an bis in die intrare balneum expediat. Phlebothomia autem, cucurbitulæ, hyrudines, medicamentaque alia, pro morborum varietate, balneationi variè permiſcenda, præſentis medici conſilio relinquuntur: hoc præſertim ubique ſervato, ut, quandiù balneatio protrahitur, ſedulò alvus lubrica ſervetur. *Mora, & numerus dierum.*

His ſex rerum non naturalium regimen accedat; utpotè quæ ſummè inalterare præſertim balneantium corpora valent. Proſtant indè carmina ſuper regimine eorum, qui Aponi balneis utuntur:

*Balnea qui ſumunt Aponi, ſint febre ſoluti,*
*Luce ſugent ſomnum; ſit quoque cœna brevis.*
*Elixas comedant carnes, veneremque ſequeſtrent;*

*Pro-*

*Provocet urbanos qualibet hora jocos.*

*Regimen à balneo.* Eadem aliquandiù ſervanda eſſe & à balneo proficiſcentibus, ratio, experimentumque ſuadere videntur. Hinc non pauca ſuppetunt exempla eorum, qui, hujuſcemodi contempto conſilio, ingens poſt balneationem detrimentum paſſi ſunt. Cæterùm in variis earundem aquarum uſibus, balneis nempè ſiccis, vaporoſis, ſtillicidiis, aſperſionibus, fomentis, aliiſque, eadem ferè animadvertenda veniunt; aſſueto cujuſque operationis ordine ſervato: cui rei ſatis, ſuperque ſtudio Clariſſimi Baccii proviſum eſt.

*Luti uſus duplex.* Lutum autem quod ſpectat, id duplici præſertim ratione ægrè affectis membris admovetur. Aut enim calenti cęno ter, quaterve membrum circumducitur, donec totidem refrigeſcat; aut, ubi ſemel lutum ſuperimpoſitum fuerit, ſolis radiis tandiu exponitur, dùm exſiccetur, decidatque. Id bis in die ut plurimùm fieri ſolet; & quemadmodum, antequam lutum adhibeatur, vel pars affecta ſæpiùs calentis ipſius aquæ portione quadam ſovenda eſt, vel integrè balneum in uſum ducendum; ita, poſtquam è luto eandem extuleris, apto in hanc rem oleo, vel alio quopiam linimento obducenda.

Valetudini intereà recuperandæ ſummoperè conducit morboſa membra ſubindè leniter exercere: quippè & pars intermiſſis muneribus ſenſim aſſueſcit, & meatus ejuſdem facilio-

liorem in posterum tenuibus luti particulis appulsum exhibent. His omnibus temperatissima anni tempora plurimùm conferunt. Quod reliquum, quia regulis super omni harum, aliarumque aquarum usu fusiùs dicendis præclarissimi scriptores, id enim ab Falloppio, Baccio, Langio, Blondel, Cockelio, aliisque permultis exactè impletum est, non defuerunt; ideò ex ingenti apparatu, paucula hæc memorasse sufficiat.



DIS-

# DISSERTATIO

*De Situ, Minera, & Viribus*

# FONTIS LÆLII

*ACIDI,*

# RECOBARII.

*Scribendi occasio.*

LUbet in exitu Opuſculi Novum Recobarii Fontem brevibus proſequi: quem ſicuti mira primùm inter erumpentes dulciſſimarum aquarum rivos ſaporis aciditas notabilem fecit, ita mox inita permultis in Ægritudinum generibus experimenta vulgatiſsimum reddiderunt. Hujus, quòd ſciam, nulli hactenùs ſcriptores meminere: Medentibus ex eo dumtaxat ad ejuſdem aquæ potum præſcribendum perductis, quòd aliis Acidulis non guſtu tantum, ſed & effectu plerumque, uti ferunt, ſimillimam invenerint. Hinc mihi conſilium, examine Fontis, ut licuit, inſtituto, ejuſdem indolem pro virili inquirere

rere, atque actiones ſingulas perſtringendo, ſi fieri poterit, quid certum ſuper hac re pronunciare. Neque inglorius fortaſſe laboris eventus. Quippè, niſi novum lumen, hæc præſtando, ſcientibus adjecero; illud ſaltem penes me erit, quòd ſparſa colligendo multum operis aliis ſubtraxerim, atque intereà non, quæ vario vulgi rumore circumferuntur, ſed, quæ magiſtra rerum Experientia detexit, ingenua oratione conſcripſerim.

*Recobarii deſcriptio, & ſitus; vulgò Recoaro.*

Igitur inter Montes, qui Vincentiam, quà Occidens, & Septentrio eſt, latè proſpectant, Recobarii Colles, vulgò *Recoaro*, quaſi auri divites, quòd in iiſdem latitare auri mineræ dicantur, viginti tria fermè millia paſſuum ab urbe ſiti ſunt. Horum radicibus, quæ ex abſciſſis, præruptiſque rupibus attolluntur, Recobarii Pagus imponitur; cujus ſitum lætæ ubique ſcaturigines fontium, temperies cœli, quemadmodum ex optimo præſertim incolarum habitu colligitur, & quà montes faciliora latera paulatim acclinant, ſoli fertilitas plurimùm commendant. Qua parte autem in Meridiem locus obvertitur, dives aquarum è propinquis jugis devolutarum Torrens (Agnum accolæ appellant) præterlabitur; qui dein quinque milliarium ſpatium emenſus, ibique in planitiem valli haud abſimilem effuſus, loco eidem nomen indidit: ac proindè proximum pagum Agni Vallem, ſeu, corrupto, ut moris eſt, cognomen-

*Agnus Torrens.*

*Valdaneum.* mento, Valdaneum nuncupavere.

At, quà Recobarii prospectus idem in Meridiem est, si vix ultra trecentos passus inter inæqualia collium processeris, in acidum laticem offendes, qui eodem ferè, quo genitus est, loco cum descendentibus circà dulcium aquarum rivis commiscetur. Huic *Acidulæ Fons.* paulò superiùs alius acidæ aquæ Fonticulus imminet: cujus initium ab inæquali collis prominentia in Septentrionem conversa ductum est, ibique modico foramine erumpens, non nisi inferiore loci parte cum aliis aquis confunditur. Duodecim fermè annos excessisse ferunt, ex quibus Rivus hic emanare cœpit; primùmque dicitur ab præclarissimo Comite Lælio Plovenio Patricio Veneto detectus: undè & inlatum est aquis nomen, atque Fons Lęlius nuncupatus. *C. Lęlius Plovenius.* Nihilominus primis temporibus adeò vel omissus est, vel neglectus, ut nonnisi septem ferè ab hinc annis in medentium usum penitùs transierit.

*Quomodo primũ in usum ductus fons Lęlius.* Prima salubris Aquæ monimenta humoris luciditas, acidus ejusdem sapor, & scaturiginis ordo fuere: undè præ cæteris Aquis Acidulis S. Mauritii, & Vallis Solis persimilis inventa dicitur. Quamobrem rei novitate permotis eorum animis, qui ad externas, dissitasque provincias acidularum studio trahebantur, non defuere, qui indolem Fontis, repetitis, uti moris est, hau-

sti-

ſtibus, explorarent. Neque experimento fęlicitas defuit. Quippè & hypochondriacis, & febri vexatis corporibus, aliiſque adeò ſubvenit, ut non modò inter probatiſſimos Acidularum rivos hunc meritò recenſendum eſſe, verùm etiam, propter ingentem ſubtiliſſimarum particularum proventum, eorundem permultis virtute præſtare, præclariſſimi viri exiſtimaverint. Magnus propterea Julii, atque Auguſti menſibus ad hunc Fontem Ægrorum confluxus eſt. Reliquis anni temporibus, non imminuta, quemadmodum vulgus opinatur, activitas aquæ, aut mutatum loci ingenium, ſed corpora haud ſatis reſerata intutum hujuſmodi potum fecerunt.

Cæterùm permulti, ob gratiſſimæ aciditatis rationem, corpore nequaquam purgato, hauſtus aliquot in uſum ducere conſueverunt; ſed præſertim incolæ, dum febri ſaltem intermittenti torquentur, ex ejuſdem aquæ potu voluptatis plurimum, atque utilitatis percipere ſe profitentur. Idque, uti conjicio, indè potiſſimùm evenit, quòd quemadmodum hujuſmodi aqua febrilis æſtus labori maximè adverſatur, ita facilem ſibi è corpore, expeditumque exitum munit. Bruta quoque, ubi ſemel, ſiti impellente, ad fontem acceſſerint, in poſterum aquas eaſdem omninò non averſantur.

Itaque, ut acidi hujus laticis intimam, quantum quidem in me ſitum eſſet, naturam *Fontis examen.*

assequerer, multiplici examine rem conficiendam mihi esse proposui. Atque in primis, ne subtilissima corpuscula, in quibus maximam hujus aquæ vim sitam esse, intellectu facillimum duco, qualibet interjecta mora, evanescerent; in ipsa scaturigine pleraque persolvi placitum. Quæ verò eodem in loco confici haud potuere, ita deinceps instituta sunt, ut aqua summa diligentia aliò transferretur, & quàm citissimè subjiceretur examini. Ut autem, quandoquidem hujusmodi occasio incidit; quæ mihi præ reliquis notatu digna visa sunt, ordine proponam, quatuor potissimùm agenda erunt. Primò enim cùm naturales hujus laticis notas, tùm colores, aliosque effectus per admixtionem alienarum rerum indicabimus. Secundò, sumpta ex his conjectura, conabimur aliquid super minera ejusdem proferre. Tertiò, quæ vires ejusdem, ducto argumento cùm ab effectibus, quos curare dicitur, tùm ab contentis ipsius fontis, saltem per genera, designabimus, Postremò verò proponemus, quis utendi ordo plurimùm probari consueverit.

*Integræ aquæ color.* Et I. quidem, ut ab integræ aquæ examine exordiar, colorem intuenti nihil ferè notatu dignum occurrit. Humor enim, qui indè enascitur, Crystalli instar, pellucidus est; & vix ullo unquam, uti ferunt, aut tempestatis discrimine, aut cęli turbatur.

*Odor.* Odor verò sulphureus eidem, ac ferrugino-

nosus; adeò ut non absimilem fortassè habere liceat, quotiescunque limaturæ Ferri Vitrioli Spiritus affundatur. Non diù tamen idem ex aqua sursum ascendere, atque olfactus organum pulsare consuevit. Quippè, quidquid id est, ocyùs evanescit; servatoque ex humore, nihil, præter grave quiddam, ad nares evehitur. Hæc apertiùs innotescent, si aqua paulùm calefiat. Namque subtiles particulæ in motum majorem actæ, veluti agmine facto, extemplò decedunt, licèt inter avolandum haudquaquam deprehendantur.

At in sapore gratus admodùm acor percipitur; cui maximè, decoquente desuper Sole, miranda frigiditas accedit. Hæc tamen per alias tempestates, reliquorum fontium more, plurimùm mitescere creditur; hinc & probè inter rigores hyemis à congelatione fons præservari. Cæterùm, quæ primùm insignis aciditas hausto ex humore sentitur, citò exolescit: quippè ubi nonnihil ore eundem detinueris, dempta aciditate, subobscurus quidam Vitrioli Martis sapor emergit. *Sapor.*

Porrò ad tactiles qualitates frigus pertinet, æstiva tempestate plurimùm vel conspicuus, vel auctus. Huic verò & asperitas haud modica accedit; non aliter ac si Chalcanthum ibi, Nitrumve solutum fuisset. Indè manus aqua eadem ablutas modicè exasperari, contrahique deprehendes: idque in *Tactiles qualitates.*

 hu-

humore, diutiùs licèt extra ſcaturiginis locum ſervato, experiri ubique facilè quiſque poterit.

*Contentoris inſpectio.* Ad contentorum inſpectionem primo intuitu nihil, niſi bullulæ quædam referri queunt; quæ, ubi in vitrum aquam fuderis, margaritarum, ſive mercurii more plurimùm augentur, & ſibilum excitant. At ſi nonnihil aqua vitris incluſa ſervetur, turbari eandem paulatim contingit; donec ſedimentum quodam ſubrubrum appareat, illi prorsùs non abſimile, quod iis in locis paſſim congeſtum eſt, per quæ effuſus humor ad declivia devolvitur. Hoc autem in dies aliquatenùs augeri vel id demonſtrat, quòd aſſervata per ſexdecim menſes aqua ferè ſemper novi aliquid flocculorum inſtar dejicere viſa eſt.

*Pondus.* Pondus hujus aquæ recens è fonte collectæ ſi animadvertatur, nullus dubitandi locus eſt, quin cæteris communibus aquis eadem levior ſit; idque inito per ariometram, & bilancem experimento. Hinc pronum eſt colligere particulas tenuiſſimas, atque avolare nitentes, plurimùm hoc in latice contineri, à quibus aquæ pori undique dilatantur. Fit indè, ut ſi ab ortus ſui loco aliquò transferratur, vires ejuſdem minuantur, & brevi penitùs pereant. Quod nonniſi ob fugam tenuiſſimorum corpuſculorum contingere, vel ex eo conjectare licet, quod humor

diu-

diutiùs aſſervatus levitatem memoratam amittit, ac deceſſiſſe ſimùl quantitatem aquæ apparet; quoniam nempè præſente ſpiritu, aqueæ particulæ turgeſcere videntur, ac propterea locum ampliorem occupare.

Ad vires, facultateſque Fontis quod ſpectat, cùm aqua ex eodem hauſta mirum in modum, ac celeritate inſigni meatus corporis internos trajiciat, non ambigendum videtur, quin volatilis alicujus ſalis dives ſit; cujus ope aqueæ particulæ per quaslibet fiſtulas facilè traducuntur. Deinde cùm acore grato ſit prædita, ſitim extinguat, appetitum excitet, calculum minuat, moveat urinam, fas ideò ſuſpicari, Chalcanthum ſubeſſe. Inſuper, cùm eodem potu Lienis, Hepatis, & Meſenterii venas aperiri contingat, Cachexiam tolli, acidos humores corrigi, alvinaſque fæces nigro colore nonnihil infici, Ferri indè præſentia non inconcinnè arguitur. Haud abſimili ratione ab omni penitùs ſulphure immunem aquam pronunciare non decet. Quippè cùm mirum in modum Catarrhis, & præſertim Aſthmati medeatur, Hydropem exſiccet, putredini reſiſtat, mulieres, ut volunt non pauci, fœcundas faciat, atque alia hujus generis moliatur, ſatis apertum videtur, dummodò alia experimenta non obſiſtant, harum actionum initium ab ſulphure petendum eſſe. *Vires.*

His persolutis, ad aliud examinis genus processum est; & primò quidem colorum varietatem experiri placitum. Itaque cùm rosas rubras exsiccatas in hujus fontis aqua decoquissem, videre contigit, aquam non rubedinem ex rosis, sed viriditatem induisse: quo seorsim per syrupum violarum probè cum aqua eadem mixtum, agitatumque sæpiùs tentato, viridis admodum humor evasit, cœruleo syrupi colore penitùs evanescente. Quod quidem non ab acidis spiritus particulis proficisci existimo, sed ab ramentis metallicis crassioribus, quæ videntur ad contrariam naturam esse referenda. Cæterùm hanc tincturam viridem ut destruerem, utrisque Vitrioli spiritum affudi. Continuòque viridis syrupi color in rubicundum omninò transiit, mira utrinque luciditate instructum. At nova statim, ex superaddito Oleo Tartari per deliquium, sive ex solutione Cinerum Clavellatorum, coloris imago. Quippè, rubedine quaquaversùm posita, intensior priore viriditas temporis momento inducta est. Hunc effectum, in ipso affusionis articulo, effervescentia ingens præcessit; spumaque ex pugnantium succorum regione exorta, ad vitri usque summa pervenit. Neque rubedinem denuò inducere per Vitrioli Spiritum molienti res extra votum successit. Immò vicissim repetitis Olei Tartari, & Vitrioli Spiritus affusionibus, per singulas vices veli-

ta-

tationes eædem ſequebantur, & varia viridis modò, modò rubicundi coloris imago prodibat. Quod reliquum, cùm hæc colorum mutatio ad contraria particularum genera referenda videatur, notandum, ex horum prædominio hunc, illumve colorem induci, cœruleum verò violarum à neutro eorundem ampliùs reſtitui.

His ubi ad ſatietatem curioſis oculis litatum fuit, recens è Fonte educto humori Gallarum pulvis permixtus eſt; cùmque nigricans ferè color aſſurgeret, additis granis aliquot Vitrioli, atramentum ſcriptorium emerſit. Atrum hunc colorem ſpiritus Sulphuris extemplò corrupit. Quippè tinctura quædam, antiqui vini inſtar, flaveſcens exorta eſt; eouſque conſpicua, donec per Tartarum calcinatum obſcurè purpureus color aſſurgeret. Neque diù laboratum, ut priore nigredine humor inficeretur. Namque, viridis Vitrioli modica portione admixta, rursùs color ater eductus; hicque denuò per Vitrioli Spiritum ablatus, flaveſcentem omninò tincturam exhibuit. Hæc novis conatibus rursùs, iterumque tentata eundem ſemper ordinem non injucundo ſpectaculo ſervaverunt. *Atramentum.*

Colorum varietatem, uti aliis Acidularum deſcriptoribus videre contigit, hoc in Fonte experto, animadvertendum ſucceſſit, quænam mineralium genera, quamque ſub-

tilissimorum corporum texturam accuratiores aliæ observationes, variarumque rerum infusio designaret. Itaque, cùm fixa, an volatilia sint, quæ huic Fonti insident, inprimis exquirem, utraque sub forma eadem aquis his contineri, deprehendi. Et primò quidem volatilium particularum proventus ingens se prodidit. Quippè & bullas, mercurio vivo, ac margaritis non absimiles, passim à fundo ascendentes, & sibilum circa superius orificium vitri, quo aquam exceperis, excitatum, & fractiones vitrorum, quæ aqua eadem repleveris, clauserisque, aquæ demùm ipsius recens eductæ levitatem, non ad alias causas, quàm ad volatilia corpuscula aquis innatantia, atque exitum quærentia, aptè retuleris. Et licèt, partim ob miram spirituum tenuitatem, uti ex pernicissimo eorum motu, & fuga colligere est, partim ob proventum quarundam partium crassiorum, in quæ faciliùs, quæ infuderis, impingunt, expectati ab aliarum rerum infusione effectus in universum non prodeant; tamen vel unus operandi ordo, qui ex harum aquarum potu habetur, ostendit apertissimè, volatilium corpusculorum ingentem multitudinem ibidem reperiri. Porrò hæc acidæ ferè naturæ esse varia ostendunt; illudque præ cæteris, quòd, ubi ab aqua eadem aeri exposita spiritus discesserit, quod ocyssimè evenire solet, grata illa, insignisque aciditas simul

*Volatilia corpuscula.*

*Spiritus acidus.*

mul tollitur; atque indè obtusus quidam sapor dumtaxat habetur, quo Vitriolum Martis videtur indicari. Cæterùm horum spirituum portionem aliquam captandi adempta mihi spes omnis est; iisdem, quacunque sedulitate, ac solertia aquam pertentarim, in apertum evadentibus.

Crassiores verò particulas simul in aquæ poris adesse, præter earundem actionem in ea, quæ infundi solent, id satis evincit, quòd non solùm ignis ope, verùm etiam spontè in humore diutiùs detento multa secedunt, & fixa remanent; quæque longiùs igne tentata densiùs videntur concrescere. Hinc aqua eadem, ubi volatiles particulæ omninò discesserint, communi cæterorum fontium gravior aliquatenùs evadit; quòd nempè aliqua ejusdem poros impleant, & compactiorem quodammodò molem reddant. Hinc etiam non exigua terræ portio, post assuetum examinis laborem, elicitur: in qua, præter ramenta nonnulla mineralia, uti dicetur, salis etiam corpuscula quædam inveniuntur. *Particulæ fixæ.*

Vitriolum quod attinet, non unum succi hujus argumentum. Etenim, si quis decipi se sapore posse, quod vix crediderim (satis enim doctissimus Melchior Sebizius, in tractatu de Acidulis, dissertatione quarta, sect. 1. ostendit intensam aciditatem ad Vitriolum esse referendam; quod & Paracelso placuisse, de Therm. tract. 3. cap. 9. reperio) suspi- *Vitriolum.*

pi-

picatur; infundat is acido huic humori ritè paratam solutionem Gallarum. Qua ex permixtione, ubi color quidam ex rubro fermè in atrum paulatim degenerans, qui deindè videtur paulatim intendi, atque atramenti odor aliquis emerserit; non erit facilè aliundè, quàm à Vitriolo hos effectus derivare. Idem ex aspersione pulveris Gallarum evenit; itemque aliquod Vitrioli signum habetur ex foliis Tea, corticibus Granatorum, Foliis Quercus, Myrabolanis, & similibus. Prætereaque vitriolicum acidum evincunt cærulei in Tornasole coloris aliqua mutatio in rubrum, & præcipitationes omnes, quæ immissum Sp. Urinæ, atque alia hujus generis sequutæ sunt. Etenim eodem ferè ordine turbata est aqua, descensusque coaguli sequutus est, æqualis ferè illi, quod ex Vitriolo albo consuevit præcipitari. Cæterùm arduum duxerim, ob succum ad maturitatem haud provectum, Vitrioli Crystallos inde elicere. Attamen quoniam, ducto ab analysi Vitrioli naturalis, & compositione artificialis argumento, manifestè apparet subesse Vitrioli Martis principia; ideò crediderim, aliquandò ab expertissimis hunc quoque succum, quolibet in maturitatis gradu idem intelligatur, indè educi posse.

*Martis examen.* Quoniam autem veritati magna ex parte consonum videtur, quod habet in Pharmaceutica Clavi Clarissimus Hoffmanus, nem-

„pè

„pè Acidularum virtutem medicam depen-„dere à subtilissimis Mineralium Spiritibus ex „actione, & reactione in Martem; haud absimili ratione Ferrum, sive Martem subesse, conjectamus. Quam quidem sententiam id maximè fulcit, quòd non procul hac aquarum scaturigine Fodinæ Ferri inveniuntur. Accedit & ferrugineus odor, & sapor; prætereaque coloris argumenta, cùm ex aquæ sedimento, tùm ex Gallarum pulvere, atque omnium ferè adstringentium desumpta; quæ omnia non solùm Vitrioli, verùm etiam Martis, cui satis conspicua aciditas, licèt multò remissior, quàm Vitriolo, inest, præsentiam arguunt.

*Ferri Fodinæ.*

Neque si vel internos hujus fontis effectus, vel dejectiones aquas easdem bibentium inspicias, rem aliter se habere deprehendes. Quippè sicuti per eas non aliter corporis meatus undique patefiunt, ac per Vinum Chalybeatum, ac Crocum Martis aperitivum, cæteraque ex hoc parata medicamenta; ità & alvinæ fœces, quodammodò denigratæ, remedii ipsius naturam ostendunt. Præ cęteris tamen hoc vel unum sententiæ robur addit, quòd tanta inter Martem, & Vitriolum necessitudo intercedit, ut unum ex altero facilè eliciatur. Unde, quemadmodum in Pharmaceutica Clavi Hoffmanus habet, sicuti Vitriolum Martis, ubi valido igne torqueatur, pristinam metalli formam recuperat, ità ex limatura Ferri, ope Spiritus Sulphuris, Vitriolum

*Necessitudo ingens inter Martem, & Vitriolum.*

lum extrahi facillimè queit.

Ad hæc & Luti color Marti proprius videtur; & quemadmodùm metallum in terra illius collis pondere se prodit, ita &, tellure altiùs effossa, si glebas indè extrahas, & Agricolæ experimentum, uti habetur è Libro septimo, ad venam ferri explorandam, adhibeas; eò tandem perveniri poterit, ut Magnes in ramentum lotura collectum impositus apertè Martem ostendat, ferream scobem ad se trahendo. Ità & sedimentum ex aqua eadem, quod habetur sub forma pulveris subrufi, collectum si sedulò animadvertatur, patebit nihil aliud esse, quàm corpuscula ferrea terrestribus permixta, ab acido subterraneo soluta, quæ deindè ob defectum acidi fixioris in Crystallos concrescere haud potuere. Hæc quoque ritè parata Magneti aliquatenùs obsequi apparebit; &, ubi haud absimilem à naturæ instituto compositionem quis moliatur, indè Vitriolum Martis optimum extrahi posse, non sine ratione crediderim.

Quod reliquum est, libet hac de causa medentibus gratulari, quòd Ferreas Aquas in Italia quoque reperire datum sit. Notum enim celeberrimi Falloppii dictum, de Thermis, Capite octavo; qui postquam negavit, hujusmodi aquam hac in regione usquam in-
„veniri: utinam, ait, tales aquæ reperiren-
„tur, quia meliùs ageretur cum iis, qui la-
„borant affectibus Renum, & Vesicæ.

Por-

Porrò de Alumine, ne quidquam omittamus, quid ſtatuendum ſit, noſſe difficillimum. Quippè, licèt nullus ſapor vinoſus, & ſtipticus adſit, nec injecto pulvere Gallarum aut tinctura, aut ſedimentum album apparuerit, nec poſt ſpiritus Vini admixtionem lacteſcentia ulla exorta ſit, nec aut ex Breſilii ligni coctione, aut ex additione Coccinellæ, atque aliorum hujus generis, expectatus color emerſerit, &, quod magis eſt, neque effectus facultati aluminis reſpondere omninò videantur; adhuc nihilominùs intutum pronunciare, nullam his aquis Aluminis portionem contineri. Quippè pronum cuique, Vitriolo præſente, objicere, ex his omnibus prædominium quidem Aluminis, at omnimodam ejuſdem abſentiam nequaquam evinci. *Quid dicendum videatur de Alumine.*

Accedit & plurimorum eſſe ſententiam, nunquam ibi oppugnandum penitùs Alumen eſſe, ubi Vitriolum habetur; quoniam ferè ubicunque Ferri Metallum, ibi & Aluminis cum eodem commixtum reperitur. Hinc Georgius Agricola, Libro ſecundo de re Metallica, Alumen, Vitriolumque ſuccos cognatos appellat; ex uno, eodemque lapide confici utrumque poſſe, aſſerit; demùm omne Vitriolum Alumen continere apertè tuetur: ordine ibidem delineato, quo unum ab altero aquæ, vel urinæ ope ſecerni queat. Huic præ ceteris favet Recentiorum Medicinæ ſcriptorum præſtantiſſimus Michael Etmul- *Ubi Vitriolum, ibi & Alumen.*

mullerus: qui Pyrotechniæ Rationalis Libro primo, ſectione prima, Cap. 11. & 12. Alumen Vitriolo cognatum vocat; atque artis ope hos ſuccos paranti captu facillimum oſtendit, quantulum diſcrimen inter utrumque interſit.

*Quid ſit Alumen.* Enimverò cùm nihil aliud Alumen ſit, quàm petroſum terreum corpus ab acido ſpiritu ſolutum, & in aluminoſam, pellucidam ſubſtantiam converſum; videtur fieri minùs vix poſſe, quin dùm ſpiritus idem agens in Ferream glebam Vitriolum orditur, eodem quoque tempore terreſtres particulas, iiſdem glebis ferè ubique intermixtas ſolvat, atque inde Aluminoſum quiddam conficiatur. Addendum his eſt, ex ſedimento ab aquæ hujus evaporatione cryſtallos quaſdam perpaucas, atque uti vocant, irregulares, Aluminis ſaporem quendam præferentes haberi: ac propterea aſſerendum videtur, non prævalere quidem in hoc acido latice Alumen; at cùm ob cognationem, quæ inter ipſum, & Vitriolum intercedit, tùm ob reliquas conjecturas, nullam ſatis validam rationem ſuppetere, propter quam omninò rejiciendum ſit.

*Nitrum.* Nitrum quod ſpectat, ut ſileam de ejus ſpeciebus plurimùm certari, variè hujus præſentia in aquis medicatis proponitur, oppugnaturque. Siquidem viſum quamplurimis eſt impoſſibile, non modò ſalem hunc in i-

mis

mis terræ visceribus oriri posse, verùm etiam alibi reperiri, quàm ubi animalia plurimùm degunt. Attamen si nonnullos aquarum Metallicarum exploratores audiamus, & immigrare posse in easdem varias Nitri species, & inventas quoque in non paucis fuisse constat. Idcircò Dom. Du Clos, in examine aquarum Mineralium Galliæ, observationum Classe secunda, in aquis de Bourbon, Archambault, de Chaudesaigues, du Mont d'Or, de Neris, aliisque, salem quendam Nitro à veteribus descripto persimilem repertum fuisse testatur. At Benedictus Gründel in Roitschensibus Acidulis, Capite octavo, deprehensos à se flores Nitri, ait, simili ferè ordine, quo Hadrianus à Mynsicht fiorum eorundem præparationem docet in Armamentarii Medico-Chymici Sectione prima. Item detectum in aqua Medicata Bibergensi Nitrum apertissimè, refert Eberhardus Cockelius, Consilio XXXI. aliique: adeò ut, cùm glebæ quoque, uti notat Linster, Cap. XII. hujus salis feraces inveniantur, extra dubitationis aleam positum videtur, posse Nitrum quoque mineralibus fontibus misceri.

*Acidulæ Roitschenses.*

*Aqua Bibergensis.*

Hujus autem generis succus an Lælio fonti insideat, pronunciare haud facile est. Quippè uti, adhibita solutione Mercurii Sublimati, Mercurium eundem in nullam tincturam accedentem ad colorem corticum malorum aurantiorum maturorum ab hoc sale

præ-

præcipitatum, uti ex veri Nitri præſentia oriri volunt, non habuimus; ita nullatenùs ab exigua portione ſalis, ab ſedimento ejuſdem aquæ deprompti, Nitri notæ, ſive per ignem, ſive per alias infuſiones quaslibet elici unquam potuere. Nihilominus tamen, cùm aliarum rerum mixtio effectibus omnibus Nitri valeat ſatis obſiſtere, nolim ita mihi cauſæ hujus defenſionem ſuſcipere, ut negem apertè, ullum penitùs hìc Nitrum ſtatuendum eſſe. Cùm enim, connexio hujus ingens cum Ferro quoque ſit, uti teſtatur in Pharmaceutica Clavi doctiſſimus Hoffmanus; ita quæſtionem hanc finiam, ut, ſi Nitrum aliquod hoc in fonte reperitur, idem in exigua penitùs quantitate ſubſit.

*Sulphur.* Enumeratis foſſilium generibus accenſendum eſt Sulphur, quod, iis omiſſis, quæ ab odore, & connexione Sulphuris cum Vitriolo paſſim deſumuntur, ſcimus enim Chalcanthi venam, dum foditur, fœtidum, ac grave olentem ſulphuris eructare halitum, ex affuſione Olei Tartari per deliquium, Aceti acerrimi deſtillati, ſimiliumque conſpicuum fieri videtur. Idem ex verſicolore pellicula, inter evaporandum concreſcente, aliiſque aliquatenùs innotuit. Quoniam tamen apertiores notæ ſulphuris haberi poſt varios labores haud potuerunt; uti inficiari neminem poſſe crediderim, ſulphur hoc in latice inveniri, ita dicendum videtur, magna ex

parte

parte tenuiſſimam ejuſdem portionem eidem permixtam; quod & ex iis, quæ dicturi ſumus, aliquatenùs innoteſcet.

Salis verò Communis an pars ulla ſubſit, ſi exquiras, illud inprimis obvium eſt, nullum ejuſdem in sapore ſignum haberi. Scias tamen & Argentum, in Aqua Forti de more ſolutum, aquæ huic infuſum fuiſſe. Cùm autem Lunæ calx non præcipitaretur, aſſerendum propterea viſum eſt, Fontem ipſum Sale Communi imbutum non eſſe. Neque aliter res evenit, poſtquam idem Argentum probè ſolutum, decantatumque aquæ eidem, cujus portio, ſubdito igne, jam evaporaverat, permixtum eſt. Rursùs verò, ſi cum ſalis indè deprompti, atque iterùm in aqua ſoluti portione probam inſtituas, ac per alia infuſionum, & ignis experimenta hujus ſalis effectus deprehendere coneris, magis patefiet nullam cum Sale Communi cognationem eundem habere. *Nulla ſalis cōmunis nota.*

Si autem diutiùs circa ſedimenti examen incumbas, nullum Sal Ammoniacum, Arſenicum, aut aliud quidpiam hujus generis ibidem latitare intelliges; uti nec Aurum, aut Argentum, quod & infuſa aqua ſalſa exploratum fuit. Pro Æris tamen præſentia ſcio aliquos dimicare. Qui demùm addunt, excitatum aliquandò ab hujus aquæ potu vomitum, aluique dejectionem, ad Æris actionem, cujus ii creberrimi effectus *Sal Ammon Arſenicū. Aurum, Argentum. Æs.*

N ſunt,

ſunt, aptè referri. Quam ſententiam, quidquid aliis videatur, nullatenùs ſectari auſim, quoniam uti horum ſymptomatum cauſa Martis Vitriolo cùm Ventriculi, tùm Inteſtinorum fibras aliquandò irritanti aſſignari æquè poteſt, ita & procùl hac aqua nauſeoſus ſapor abeſt, quod volunt ſubjecti Æris indicium eſſe, & nullæ, quod magis eſt, ab ſedimentorum examine notæ apparent, quibus Æris præſentia ſtatui queat.

Veruntamen prætermittendum non eſt, videri id maximè indicare, purum in hac Aqua Vitriolum Martis eſſe, quòd cùm ubere proventu Ferri ejuſdem vena ſubſit, etſi partem aliquam Æris acidus hujus aquæ ſpiritus ſolveret, in venæ Ferreæ tranſitu dimittere eandem deberet; vel ſemel aſſumpto Ferro, nunquam in ejus locum Æs amplecti. Hoc eſſe veritati ſummè conſonum, ii fatebuntur, qui norint, quomodo Vitriolum cum Venere, & Marte conjunctum ad Medicum uſum præparari queat, purum illud redigendo. Siquidem, ſi hoc mixtum ex utroque metallo Vitriolum in aqua ſolvatur, ubi ignem ſubjeceris, atque bacillos ferreos in aquam eandem immiſeris, Veneris metallum ad fundum præcipitabitur. Quod ideò evenit, quia acidum in Vitriolo, relicta Venere, aggreditur Martem; atque indè & quantum

tum Veneris in eo priùs latitaret, deprehendes, & purum indè habebis Vitriolum Ferri. Id an æquè in ditiſſima, quæ huic fonti ſubeſt, Ferri vena evenire poſſit, aliis judicandum relinquo.

*Evaporatio, &c.* Cæterùm, ne nimius ſim, quemadmodum quæ ad evaporationem, inſolationem putrefactionem, & decoctionem hujus aquæ ſpectant, eo ferè rediguntur, ut ex ſupradictis colligi facilè poſſint; ita, quæ in deſtillatione ejuſdem adnotata ſunt, nihil omninò novi portendunt. *Deſtillatio.* Quippè cùm merum flegma inſipidum prodiiſſet; id ab nullius liquoris miſcella alterari poſſe deprehenſum fuit. *Caput mortuū.* Item & caput mortuum ferè omninò inſipidum relictum; quod ubi ſedulò pertractaveris, non inconcinnè fortaſsè, Vitrioli leviter calcinati imaginem quandam præ ſe ferre, dixeris.

*Ferri Fodinæ.* Si verò indolem loci, in quo Fons hic reperitur, animadvertamus, certo certius eſt, Ferri fodinas circum reperiri, eaſque ſatis uberes; ut experimento Magnetis deprehendere eſt. Quà verò aqua fontis excurrit, bolaris quædam terra rubra, ſive ex flavo, ut ajunt, rubella obverſatur: & rursùs iis locis, ad quæ humor idem pertingit, virentes herbæ ſæpèſæpiùs innaſcuntur. Porrò, hoc affuſo, coagulationem lacti induci contingit, piſces verò nec ibi vitam protrahere poſſe, nec legumina quædam in eodem mol-

liri, aliaque permulta; quæ undè prodeant, opus non eſt explicare.

*Fontis Lælii minera.* II. Cùm igitur ex antedictis appareat, tria eſſe potiſſimùm ea, quæ notatu digna in hoc latice occurrunt, Spiritum nempè quendam ſubtilem, penetrantem, acidum, atque ſummè diſſolubilem, Ferri Venam corroſam, vel ſpontè ſubſidentem, atque effectus ferè omnes, qui ex Vitriolo haberi conſueverunt (cætera enim, quæ nuper attigimus, etſi inſint, pauca adeò ſunt, atque inconſpicua, ut animadverſionem mereri non videantur) ſuſpicari fas eſt, in eo mineræ ejuſdem momentum verti, ut quidquid virium habet, id omne cùm ab Vitriolo Martis, à ſale acido, volatilique reſoluto, tùm à portione ſpiritus ejuſdem nondum coagulata proficiſcatur. Propterea videtur, hujuſmodi eſſe Fontis hujus initium, ut dùm aqua ſubterraneas vias variè perreptat, Spiritum quendam ſalinum, acidum, eumque tenuiſſimum excipiat; cujus auxilio, dùm Ferreas venas immaturas trajicit, martialia corpuſcula ſolvat, eademque poris ſuis intermixta foras deferat. Hinc vitriolicæ, quæ huic fonti inſidet, venæ exordium: Hinc magna adhuc in eodem portio ſpiritus, nullis vinculis coercita, & facilè evaporans, utpotè quam aqua præfato operi non inſumpſit. Rem illuſtrat cùm naturalis Vitrioli analyſis, tùm ſyntheſis illius, quod arte parare conſue-

vi-

vimus. Utrisque enim pro principiis, acidus quidam spiritus, & metalli corpuscula substernuntur.

Quæ tamen ut clariùs innotescant, ac simùl effectuum hujus fontis omnium rationem aptiùs investigemus, liceat rem paulò accuratiùs pensitare. Utque inprimis, quæ ad spiritum attinent, attingamus, quemadmodum inveniri nemo potest, qui in Lælio Fonte præsentiam hujus inficietur, ita, cùm nullis vinculis coerceri queat, naturam ipsius intimam conjectura perquirere, arduum est omninò, atque anceps. Quippè cùm earum rerum indolem, quarum ortus natura occulit, non aliundè perspectam habeamus, quàm ex iis, quæ ordine quodam haud absimili aut artis ope molimur, aut satis apertè aliis in rebus spontè fieri cernimus; oritur indè, ut quotiescunque ea sese nobis offerunt, quæ & industriam omnem, subtilitatemque artis superant, & cæteros naturalium mixtionum, & solutionum limites excedunt, eadem ferè penitùs ignoremus. Hac de causa, cùm nullo unquam labore sive ex vegetabilium, sive ex animalium familia parari acidus spiritus potuerit, qui volatilior sit aqua, & nihilominùs plerique acidularum fontes eodem spiritu turgeant, ortum consilium, nullum aliud super hoc ferri judicium posse, præter id, quod ab effectibus desumitur. Multus propterea ipsò de spiritu

*Spiritus acidi naturæ abditissima*

*Ejusdem effectus.*

tu sermo; plerisque ejusdem texturam, mixtionemque mirantibus, propter quas facilè se in ductus quoslibet insinuat, fermento stomachi nequaquam adversatur; nervoso latici, sanguinique quos ultrà modum non lacessit amicus est, itidemque ob dilutum, & volatilitatem summam, quam habet, aptè se ab fecundis succorum qualitatibus tuetur, ac demùm sine factitii aeris excitatione degeneres particulas solvit, expeditque; ut deindè per urinam, sudores, insensibilemque transpirationem promptiùs eliminentur. Hinc inter eorum solventium numerum, principe tamen loco, collocandum censent, quæ ferè sine ulla sensibili evacuatione, haud multùm ab digestionum motibus coercita, valent eò utilium succorum, recrementorumque fermè omnium texturam redigere, ut mirum in modum puritatem sanguini concilient.

*Spiritus idem sulphuris spiritui similis.* Nihilominus sunt, qui arbitrentur, posse nos spiritus istius imaginem quandam intueri, si animadvertamus, inter hunc, & acidum Sulphuris spiritum cognationem aliquam, & similitudinem intercedere. Cùm enim ex Sulphure acidum universale omnium mineralium arte parabilium eliciatur, ut in compositione Vitrioli, Aluminis, aliorumque cernitur, quidni liceat suspicari, spiritum hunc quoque salinum, intra terræ viscera elaboratum, atque inservientem generationi eo-

eorum mineralium quæ natura contingunt, hujusmodi esse; præsertim cùm, instituta horum analysi, præter insipidum flegma, & metallum, lapidemve corrosum, semper acidus quidam spiritus haberi consueverit? Propterea non sine ratione ingeniosissimi viri, Paracelsus, atque Helmontius, agentes de subtilissimo corpore, quo metallicæ aquæ turgent, videntur idem Spiritum acidum Esurinum, embryonati cujuspiam Sulphuris nuncupavisse. Inter quod tamen, & artificiale sal Esurinum Sulphuris haud modicum discrimen intercedit. Quippè uti illud, quemadmodum ajunt, propinquius est primis seminibus in radice, atque ideò omnium purissimum, & nobilissimum, nobis verò, quibus id coercere nequaquam datum est, multò minùs ullo artificio parabile; ita hujus nulla portio haberi potest, quæ non aliquo peregrini corporis connubio plurimùm à primæva puritate decesserit.

*Spiritus esurinus sulphuris embryonati*

Quo posito, cùm nos opera naturæ, utpotè quæ nostras ridet leges, ex industria nostra semper ineptè dimetiamur, non est valdè laborandum, ut statuatur, quo ordine nitidissimus ille spiritus ab inferna tellure prodeat. Sive enim ex spiritibus sulphureis incensis oriatur, sive, quod veritati propius est, & indoles ejusdem præclarissima magis exposcere videtur, alio quovis subtiliore instituto ab sulphuribus iisdem secernatur; abun-

dè eſt, innuiſſe, per hunc generationes mineralium, aquarumque medicatarum omnes ſatis doctè, quantum quidem in nobis ſitum eſt, explicari poſſe. Sequitur propterea, eos, qui idem non ſentiunt, ad meliores alias cauſas confugere debere; quas ut in tanta rerum caligine comminiſci, difficillimum erit, ita ubi eaſdem invenerint, in eorundem ſententiam, priore relicta, nos quoque pedibus ituros eſſe, pollicemur.

*Sal centrale medicatos fontes facit.*

Itaque, uti Sal iſtud volatile Eſurinum, ſive Centrale, alienæ commixtionis penitùs expers, fontem aliquem ingreſſum, miram eidem ſalubritatem impertitur; ita continget, aquam ipſam ad plures alios uſus aptari poſſe, quotieſcunque illius auxilio alia corpora ritè ſoluta eidem miſceantur. Id Lęlio Fonti evenit percommodè. Ferream namque venam immaturam offendens, eandem ſolvit, ſolutamque, atque intimè ſibi permixtam, ſecum ducit. Neque abhorrere à veritate hujus fontis exortum dicet is, qui aliarum Acidularum naturam contemplatus fuerit. Præ cęteris verò favere huic conjecturæ videtur diligentiſſimus Rochas, aliàs memoratus; qui cupidine primæ etiam hujuſmodi aquarum ſcaturiginis cognoſcendæ ductus, cùm, effoſſa humo, uſque ad acidi fontis originem perveniſſet, deprehendit ſalinam ibi, ſubacidamque aquam eſſe, ac deindè per Ferri, vel Cupri venam tranſeundo,

*Ferreę venæ ſolutio.*

de-

demum in exortu medicatum laticem integrum præſtare.

Porrò, non eſt ſilentio prætereundum, metallici fontis aquam, poſt ſolutionem Ferreæ venæ, non ea ſpiritus quantitate pollere, qua anteà turgebat. Siquidem iſtius operis hujuſmodi eventus eſt, ut qui Spiritus ſolutioni impenditur, cum eadem vena ſoluta coaguletur. *Spiritus coagulatio.*

Ex eo autem conjicias, plus, minuſve ſpiritalis ſucci conſumptum fuiſſe, quò magis, vel minùs Ferri dives eſt vena, & quò majore, vel minore mora circa venam eandem aqua immorata eſt. Neque tamen, ſtatim ac Spiritus venam permeavit, cum eadem coagulationi paret. Sed adhuc ſuper eandem eroſam, raptamque operatur, donec tandem, abſumptis viribus, veluti aculeo emiſſo, fatiſcat.

Latere indè cauſa non poteſt, cur aqua ex Lælio fonte educta lucidiſſima ſit; ubi verò aeri aliquandiù expoſita fuerit, concinno aciditatis ſapore plurimùm amiſſo, pulvis quidam imum petat, ac denique ſubrufum in eadem ſedimentum appareat. Partim enim in apertum effuſis ſpiritibus, undè, ſubſidentibus aquæ particulis, anguſtiores humoris pori fiunt, partim, ut Helmontii verbo utar, iiſdem ad finem activitatis delumbatis, imbibita vena ſidit, aqua verò priorem ſaporem amittit. Quæ res vel una ſatis valere *Cur aqua lucida ſit.*

pot-

poteſt ad eorum coarguendam ſententiam, qui putant, ex loco natali tranſmiſſam aquam, virium jacturam minimè pati.

*Vitriolū maturū cur indè non eliciatur.*

Cæterùm, licèt apertum videatur, quomodò Vitriolica Martis vena in hunc fontem immigret, nempè quòd acidus Spiritus mineram Martis corrodat, atque exindè cùm Mars, tùm Spiritus in unum concreſcendo, Vitrioli ſubſtantiam conſtituant; tamen facilè conjicio, non defuturos, quibus hæc philoſophandi ratio diſpliceat. Quam rem, quia hìc agere propoſitum non eſt, animadvertiſſe ſufficiat, omnes ſcriptorum contentiones ſuper Vitriolo Martis in acidulis contento indè oriri, quòd ſæpiſſimè nullum Vitriolum maturum parari ex iiſdem fontibus potuerit. Sumpto inde argumento non pauci ad alium ſolutionis ferreæ venæ ordinem conconfugerunt. Quod licèt variis rationibus confirmare adnitantur, nihilominùs crediderim eò rei totius ſummam redire, ut Vitriolum quidem maturum difficillimè ab medicatis aquis eliciatur; attamen non ſatis aptè unquam inferri arbitror nullum idcircò Vitriolum ſubeſſe, & ſtamina vitrioli etiam ſub aquis duci nullatenùs poſſe. In aere enim, ut aliquod rei hujus argumentum afferamus, ideò è Ferri metallo Vitriolum maturum ſenſim exoritur, quoniam in pyrite, cujus partes præcipuæ ſunt Sulphur, & Martis vena: Sulphur ab aere eodem ſolutum intermix-

tam

tam mineram corrodit, ac dùm paulatim cum eadem satis soluta concrescit, tandem sensim erumpens, in Vitriolum maturum, omnibus circà hanc germinationem adjuvantibus, efflorescit. Sub aquis verò haud aliter acidus Spiritus Martem quidem aggreditur, eumque solvit; sed quoniam, antequam hæc duo in unum ritè concrescant, suum veluti extra uterum pertrahuntur; non mirum est perfectam turbari Vitrioli germinationem, atque sæpèsæpiùs nullum ferè maturum elici Vitriolum. Non ideò tamen crediderim, ablatam penitùs spem esse hujus succi inde conficiendi: cùm id contigerit & Helmontio, qui in Sapadanis se in ferri Vitriolum offendisse apertè testatur. Cui quonam valido satis argumento adimi in hac re fides penitùs possit, viderint alii.

*Inventum tamen ab Helmōt.*

Quod reliquum est, haud multùm obsistunt, quæ adversus allatam à nobis sententiam in medium afferri queunt. Primò enim, utcunque videatur alicui non sine ratione objici posse, gratis concedi Salem Esurinum, sive Centralem uspiam existere; illud tamen extra omnem dubitationis aleam positum est, aut subtilissimum hujusmodi succum, aut aliud quiddam huic prorsùs non absimile assignandum esse, ut mineralium productiones explicentur. Alioquin non video, unde tot abditarum rerum causæ, & præsertim germinationis eorundem corporum principia peti queant.

*Objectionum solutiones.*

*Salis centralis necessitas.*

Dein-

*Quomodo ab eo ferreæ vena solvi queat.* Deinde hoc Esurino Sale solvi Ferream Venam, utpote Ferro compactiorem, haud posse, ineptè ex eo videtur inferri, quòd quędam alia menstrua vel validissima, ut Aqua Fortis, & Nitri Spiritus, non valeant eandem corrodere. Siquidem in menstruorum operationibus non ita se res habet, ut secundum roboris gradus, corpora dura, vel mollia ab iis aperiantur; verùm momentum omne aptitudinis ad solutionem variarum rerum, pendet ab varia textura particularum ipsius menstrui, propter quam variè aperiendi corporis poris aptantur. Hinc sæpè experimur, validissimis menstruis mollia dumtaxat quædam corpora solvi; & rursùs menstruis fermè insipidis vel compactissima reserari.

*Vis menstruorũ à figura.*

*Cur vena subsidat.* Neque multum negotii facessit, quod memorant nonnulli de subsidentia venæ corrosæ, non intelligentes, qui fieri possit, ut si, more aliquot Chymicorum liquorum, vi acidi Spiritus aquæ permixti, Vena solvitur, non illorum quoque more aqua eandem jam solutam sustineat. Dispar enim ratio est particularum solutionem procurantium in naturali hoc menstruo. In quo tandiù aqua summa in perspicuitate corpus opacum venæ ferreæ oculit, dùm spiritus à connubio Venæ ejusdem liber adest, is verò, qui solutionis opus aggressus fuit, nondum cum eadem prorsùs coagulatus est. Quorum actione cessante, idest hoc coagulato, priore evanescente, ideò

ideò & vena ſubſidet, quia aqua prioris menſtrui naturam non habet. Eadem quoque de cauſa evenit, ut poſt ſubſidentiam venæ, vel calore admoto, ocram ſemel depoſitam aqua iterùm non aſſumat. Quæ omnia plerumque in liquoribus Chymicis ſecùs contingunt. Quoniam in iis, quæ corpuſcula adjectum corpus ſolverunt, plurimùm adſunt; atque idcircò vel ſunt in cauſa, ut corroſi corporis particulæ imum non petant; vel, ſi id evenerit, dùm ignis adminiculo in motum cientur, iterùm in eaſdem agunt, ac propterea, quod ſubſederat, facilè reſumunt.

Cæterùm & ego in ea ſum ſententia, ut credam, ægrè iis in locis confici Vitriolum poſſe, in quibus inopportunus aquarum fluxus eſt; & rursùs hujuſmodi ſuccum, ad juſtam maturitatem provectum, lenta è pyrite germinatione prodire. Attamen hæc omnia non ad cujuſcunque, ſed ad maturi dumtaxat vitrioli procreationem referri debent. Cùm tamen variè comparatæ eſſe poſſint fontium venæ, iterùmque varia textura prædita ferri metalla; vel id apertè indicat, in hoc, vel illo maturitatis gradu confundi fontibus Vitriolum poſſe, quòd è non paucis vitriolum vel maturum etiam elicitur. Quo autem hæc ritu, quave ratione fiant, noſtræ opis explicare non eſt. Adeòque ſatis erit, per compendia ibi Vitriolum aſſignare, ubi principia idem componentia reperiuntur, licèt

*Vitriolũ maturũ, & immaturum undè.*

cèt ad maturitatis ſtatum non pervenerint? Si quis verò eſt, qui tantam induſtriam polliceatur, ut differentias omnes, graduſque noſcere funditùs queat, hunc & laudamus, & exonerari laborum noſtrorum partem fatemur. Nos enim, uti conſideranti patebit, multa hìc leviter tantùm attingere, multa quoque de induſtria penitùs declinare ſtuduimus; illud præ cæteris, multorum præeunte exemplo, veriti, ne in abditiſſimis hiſce naturæ operibus illuſtrandis, in eorum errorem incideremus, qui faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant.

*Virtutes fontis ab acido ſpiritu, & vena ferri.*

Colligi igitur ex prænotatis facilè poteſt, medicati, de quo agimus, Fontis virtutes omnes partim ab Acido Spiritu haud coagulato, partim ab Vitriolo Martis oriri. Et licèt maxima medicaminis vis in portione nitidiſſimi ſpiritus ſita ſit; tamen haud modicè ægris corporibus ſoluta quoque ferreæ venæ corpuſcula conducunt. Prodit actiones ſuas ſpiritus, ubi corpus ingreſſus fuerit, incidendo, reſolvendo, & penetrando, atque indè diureſim præ cæteris promovendo. Martis verò vena, ipſo marte nobilior, quoniam iis adhuc partibus prædita eſt, quas inter fuſionem fornax ſuffuratur, Sylveſtrium ſalium oberrantium, & quoquo modo Oeconomiæ animali officientium vim infringit, eoſque tandem ſibi adhærentes foras per alvum provehit. Hinc excrementa alvina aquam hanc bi-

*Spiritus effectus.*

*Et Martis.*

*Excrementa alvi nigra.*

bibentium nigra ferè semper esse consueverunt. Quoniam nimirùm dùm Mars sales acidos vitiosos, in primis viis stabulantes, absorbet, & continuò exitum sibi per alvum munit, à bilioso succo, quem præterlabitur, in colorem ferè nigrum præcipitatur. Hac de causa ex eo medentes inanem hujus metalli conatum fuisse, hoc est non absorptos ab eo nocuos sales conjiciunt, quòd alvinæ fæces nigro colore non obducuntur.

Hæc, veluti protenso digito, commonstrant, quibus ægritudinum generibus aquæ hujus potus obversetur. Facilis plerumque ex eo medella cùm biliosæ cachochymiæ, ubi acidum volatile oleosum, tùm melancholicæ, ubi acidum fixum molestum est. Rursùs vitia bilis fermè omnia per hujus aquæ potum auferri experimur. Namque, sive ea iners sit, sive justo crassior, sive dilutione egeat; singulis in casibus æquè benè corrigitur, temperaturque. Si autem affectus eos inspicias, qui ab acido proficiscuntur, in regione Ventriculi, non modò muccosæ quisquiliæ atteruntur, & tonus ejusdem confirmatur; sed & ubi spirituosum fermentum, atque appetitus langueant, utraque ratione eadem restituuntur. In Intestinis verò, aliisque partibus, uti ferreæ venæ adminiculo acidum omne naturæ inimicum destruitur, ita per insignes excretionum vias facilè eliminatur.

*Affectus quibus hic Fons medetur.*

Qui-

*Quid de usu ejusdem sentiendum sit.* Quibus positis, neminem esse reor, qui hujus Fontis usum non summoperè commendet, ubi perfectum ejusdem indicans adsit, præmissaque fuerint universalia, quæ præ reliquis primas vias expediant. Immò his temporibus non sine auctore dixerim, eò plerumque, remedii fortasse inopia, perventum esse, ut, ubi ex contumacibus morbis vires Ægrotantium deficiunt, quemadmodum in Chronicis Scorbuti, mali Hypochondriaci, Icteri nigri, aliisque evenit, ad hujusmodi aquæ potum, tanquam ad sacram anchoram Ægri mittantur. Hinc quemadmodùm difficillimos hosce morbos sæpèsæpiùs curari brevi contingit; ità subit medicaminis ipsius indolem suspicere, quod præter morem aliorum evacuantium, quæ odore, ac sapore magnoperè ut plurimùm displicent, faucibus, & linguæ pergratum est, ventriculique fermento adeò amicum deprehenditur, ut ferè semper ex eo imminutus appetitus augeatur, extinctus verò plurimùm excitetur. *Cur aliqui abhorreant à potu acidularum.* Propterea mirum fortasse alicui videbitur, esse nihilominus aliquos, qui ab acidularum potu abhorreant omninò; uti & adnotavit doctissimus De le Boe Sylvius, in Appendice Praxeos Medicæ, Tract. X. num. CCLXIII. Tamen, quoniam non desunt, quibus & vini cujuslibet, & optimarum quarundam carnium, piscium, aliorumque usus plurimùm displiceat, non erit valdè miran-

randum, reperiri quoque nonnullos, quibus & Acidulæ sint injucundæ.

Quoniam verò, more cæterarum omnium aquarum, ea acidorum fontium conditio est, ut ubertate spiritus, & mineræ genere alii aliis variè præstent; si verum est, uti ex præstantissimorum virorum judicio colligo, fontem hunc ferè in omnibus similem acidulis Egendinis S. Mauritii esse, non ambigo, quin eadem ratione plurimis aliis anteponendus sit. *Fons hic plurimis præstãs.*

Cæterùm si quæratur, cur rarus antiquis usus Acidularum, uti & Thermarum fuerit, cùm apud nos adeò frequens sit; facile responsum est, quemadmodùm ex Hippocratis Libro de Aer. Aq. & Locis habetur, difficillimè ab illis ea medicamenta valida usurpata, quæ in universum corrigi, atque aptari corporum naturæ non possent. Propterea, cùm hujusmodi aquas validissimas esse censerent, iisdem ægrotantium corpora credere non audebant. At nobis aliter res evenit. Quippè cùm sæpesæpiùs utilissimum harum aquarum usum esse experimento cognoverimus; facilè hac in re ab instituto antiquorum declinavimus, cùm Thermas, tùm Acidulas Ægrotantibus ferè innumeris præscribendo. Addit rei huic integerrimus Sorbait, Capite X. Quæstionum Methodi Medendi: „ moderno tempore medicos, ne sua gloria „ fiat aliena, dùm circa morborum causas *Cur rarus hujusmodi aquarũ usus antiquis fuerit.*

„ cæcutiunt, ad aquas minerales suos aman-
„ dant; sed quo successu, consulantur ves-
„ pillones, & funeratores. Quod tamen ideò animadverti velim, ne inconsultò hoc medicaminis genus præscribatur. Cęteroquin vel idem
„ scriptor subdit: Non negaverim tamen &
„ mihi, & aliis aquas minerales usui fuisse,
„ sed cum grano salis ordinatas. Verùm, quod magis est, Hippocrates ipse, in citato Libro, numero XIV. 7. Quæcunque verò
„ salsæ, ait, & crudæ, ac duræ sunt, ad
„ hoc quidem, ut eas omnes bibant, non
„ bonæ sunt. 8. sunt autem aliquæ naturæ,
„ & morbi, quibus tales aquæ in potu com-
„ modæ sunt, &c.

*In Febribus hæc aqua quid prę stet.*

III. Ut eos affectus perstringam, quos aut jam curatos inde fuisse scimus, aut, ducto à minera ejusdem argumento, curari posse conjicimus, à Febribus exordium ducitur; in quibus, ubi periodum servent, multus hujus Fontis usus est, & promptum, uti multi testantur, æstuantis ægri levamen. Cui quidem eventui ratio deesse minimè videtur. Siquidem, si, quæ in omnium penè ore versatur, intemperiem calidam consideres, nihil ferè aqua frigida accommodatius invenitur; qua tot, tantosque Synochos curasse se Galenus professus est. Immò multò magis medicamenti momentum augetur ex eo, quòd cùm hoc aquæ genus celerrimè meatus corporis trajiciat; non hypochondriorum inflatio, non

ob-

obstructio, non Hydrops, non reliqua hujus generis mala suspecta esse queunt.

Ulteriùs si putredinis, dissolutionisque discrimen animadvertatur; indicari maximè hujusmodi potus videtur. Cur enim elaboratum in telluris visceribus humorem, sive, ut Ettmullerus loquitur, propinatos à medicatrice Natura ipsa Julepos Acidos, ex terra Acidularum nomine scaturientes, rejicias, Practicis ferè omnibus cùm veteris, tùm neotericæ Scholæ, acidos Sulphuris, Vitrioli, Nitrique spiritus, communibus aquis immixtos, iis in morbis extollentibus; in quibus sedanda est, uti ajunt, effervescentia spir. salis microcosmici, discutiendi, & resolvendi maligni, crudi, nitrosi, tartareique vapores, viscera reseranda, infringendus calor, movendus sudor, atque alia hujusmodi comparanda? Neque, si aliter actionem ejusdem explicando, loquamur, diversa rei imago ullatenus nobis obversabitur. Cùm enim febriles effervescentiæ, atque insignes sanguinis ebullitiones, ob acres potissimùm, subtilesque bilis particulas evectas eveniant, nihil propemodùm videtur acido hoc latice aptius ad effrænem hunc, animalem Oeconomiam latè turbantis, Sulphuris motum compescendum, & massam sanguineam ad æquabilem mistionem, circuitumque redigendam. Itaque nulla de causa improbari in Febribus posse hoc aquæ genus crediderim; dummo-

dò tamen alia non obſiſtant, quominùs ob propioris exitii formidinem, ſæpè enim in complicatorum morborum curationibus vulgari via incedendum non eſt, idem Ægrotantibus præſcribatur.

*Capitis Affectus.* Pro morboſis Capitis affectibus curandis non pauci ſunt, qui hujus Fontis uſum mirum in modum extollant. Hinc Epilepticis, Apoplecticis, Paralyticis, Maniacis, & Capitis dolore vexatis prodeſſe creditur. Qua in re ſicuti habenda fides expertis eſt, ita perquirendum putaverim, an memorata mala à *Quid cavendum.* Viſcerum depravato munere orta ſint, atque à pravis ſuccis indè jugiter emanantibus, an ab aliis cauſis foveantur. Quippè niſi indè origo mali, ſed vel prona in has Ægritudines corpora ab exortu, vel ſingulare aliquod in affecta parte, vel organicum vitium adfuerit; fieri minus vix poteſt, quin acido hoc humore ad extremum hujuſmodi morbi intendantur. Hinc ſæpè triſtes eventus, poſt *Acidulæ ſæpè noxiæ.* aſſumptas acidulas, Practici adnotârunt: hinc ſæviùs recrudeſcentes Apoplexiæ, & Capitis dolores, Vertigineſque ad ultimum feritatis redactæ. Hinc Idiopaticæ Epilepſiæ ita exaſperatæ, ut demùm ægrorum vitam finirent. Hacque potiſſimum de cauſa factum crediderim, ut Clariſſimus Jo. Fort. quibuſdam Paralyticis quammaximè nocuiſſe Acidulas S. Mauritii, & Vallis Solis, in Conſult. & Reſponſ. Med. adnotaret.

At

At ubi aliundè initium mali; tunc non modò ratio suadet, profuturum Acidularum potum, sed & inita experimenta eundem plurimùm commendant. Quam rem ut unico absolvam exemplo, liceat Helmontii locum, apprimè enim ad rem præsentem facit, afferre qui illos redarguens, quibus mos erat Spadanam aquam ad morbos ferè omnes *Helm. monitū.*
„ commendare: effectus per accidens, Para-
„ dox. quinto, num. 5. ait, ab iis, qui per
„ se suis debentur causis, ritè distinguere
„ oportet. Qualiter si deficiente Menstruo
„ Virgo, Suffocatione, Epilepsia, vel Pa-
„ ralyttco affectu laboret: prodeuntibus au-
„ tem bibita Spadana Menstruis, ab annexa
„ diathesi liberetur, non est, quod proindè
„ Apoplexiam, Asthma, Epilepsiam, aut
„ veram Paralysim Spadanis fontibus curan-
„ dam commendemus. - Quos equidem
„ morbos si quis non distinxerit, cachinnum
„ à discretiore sibi parat.

Porrò in Pectoris affectibus, ut in Phthysicis, Asthmaticis, aliisque, non desunt, qui indè utiles eventus vidisse se asserant, & similes in posterum polliceantur. Sed, utcunque sperati effectus aliquandò evenerint, multùm ambigo, quin præsertim Pulmones hujusmodi medicamento, sive extemplò, sive per moras, spiculis nempè majorem morbi molem sensim inducentibus, lædantur. Compertum enim cuique, noxium summè Pulmo- *Affectus Pectoris.* *Pulmonibus suspectus potus.*

nibus esse Vitrioli spiritum, quatenus acrimonia vesiculas eorundem spongiosas labefactat, acetositate facilè corrodit, vi verò adstrictoria, tonum ipsarummet partium immutando, ineptum muneri suo organum constituit. Prostant idcircò exempla Phthysicorum, quorum alii Acidularum usu in Hydropem lapsi sunt, ad ultimam alii necessitatem adacti.

*Phthysici lapsi in Hydropê.*

Immò addere lubet, ut testimonium expertissimi Pauli de Sorbait, Med. Pract. tract. 7. Cap. 10. silentio transeam, Benedictum Gründel, in aquarum Roitschensium descriptione, vehementer mirari, quòd memoratus Jo. Fort. rejectis sulphureis aquis, ubi siccandi Pulmones, ut inquit, necessitas urgeret, saluberrimas in Hæmoptoicis, & Phthysicis Acidulas invenerit. Quippe, ait, etsi „ tanto viro libentissimè credam, similes ef- „ fectus ab acidulis Vitriolatis in Italia se- „ cutos esse, nihilominus tamen nostræ „ Roitschenses aquæ, etiam Vitriolo imbu- „ tæ, in hisce saltem Germaniæ locis id no- „ lunt præstare: utrum autem alibi præ- „ stent, dùm Venetias, Romam, & ad alia „ loca transportantur, nondum experiri po- „ tui. Propterea, saltem in Phthysicis, quos ille memorat, suspicari subest ulcus Pulmonum verè non adfuisse; id enim non modò Acidulis, sed quavis alia arte sanari posse, haud existimaverim. Fortasse autem, quos Phthysicos

ali-

aliquandò pronunciavit, flacescens Pulmo, aut alia quavis simili Ægritudine laborans angebat; quibus per Acidularum potum in sanitatem restitutis, curatum per eas Pulmonum ulcus deprædicavit.

Uti ergò ab hujus remedii usu arcendi sunt Phthysici, ita Empyos, qui ob aggestos putres in Pectore succos Marasmo proximi sunt, hujus aquæ potus vehementer juvat. Quippe qua ratione in his tenax Phlegmà, & cæteræ sordes inciduntur, atque absterguntur; eadem & putredo tollitur, & Febris sæpissimè intercipitur. Hinc præ cæteris Virginem quandam, Tabe fermè confectam, Lælii fontis aqua restitutam nuper habuimus. Quibus tamen in casibus, plurimum conducere experti nos quoque sumus, decoctum Saniculæ, Veronicæ, Pimpinellæ, aut similium Acidulis præmittere; hæc enim tutiùs, citiùsque expectatus eventus consequitur. *Empyi.* *Tabidis indè remedium.*

Cæterùm ubi & Febres quædam Hæcticæ, & Atrophia ab Obstructionibus pendeant; facilè ejusdem aquæ usu his Ægritudinibus vexatos sanari posse experientia demonstrat. Siquidem dùm meatuum, atque succorum omnium textura eò redigitur, ut illi ad numerum pateant, hi verò per destinatos à natura ductus ubique, atque æquabiliter fluant; tunc & segregari excrementa contingit, & alimentum æquè diffundi. Præsertim verò si Atrophiæ calamitas ab obstructis Venis La- *Feb. Hect. & Atrophiæ.*

cteis, Glandulisque Mesenterii exoriatur; fortassè vix alio ordine nutritionem instaurari celeriùs deprehendes.

*Ventriculi affectus.* Quo verò ad Iliadem affectuum imi ventris, Ventriculus in primis, cùm ob fermentum depravatum, tonumque fibrarum, naturæ instituto non respondentem, minùs exactè munere suo fungitur, per hujus aquæ potum, opportunè præscriptum, ad primævum robur redire solet. Eadem ferè de causa & Stomachi dolores ab succorum præsertim acrimonia orti pelluntur; & rursùs, ubi muccosæ quisquiliæ, aut alia coctionum opus perturbantia ibidem hæreant, attenuantur, & excedunt. Prostratum quoque apetitum ocyùs inde restitui solemne est. Hinc sæpè cavendum, ne, cùm ob hanc rationem nimiùm fame guttur exasperatur, ægri sibi pleniorem, quàm par est, rationem victus instituant. Bradipepticos tamen, qui segniter, atque ineptè alimentum coquunt, sanari præ cæteris his aquis posse, ratio suadet, nec experimentum deest.

*Intestinorum.* Porrò si Intestina animadvertamus, quàm promptè rerum omnium heterogenearum suburram hoc ritu expedire liceat; facilè cuique compertum esse potest. Hinc, ubi præsertim Colica adest, atque ob latè sævientem bilem ita intestina torquentur, ut sæpè, quemadmodum egregiè Sennertus notat, convulsionem reformidemus; juvabit tunc acidulam

hanc

hanc experiri, vix enim ullus dubito, quin hac de causa hujus fontis pretium plurimùm augeatur.

Vitiis autem cùm bilis, tùm ipsius Hepatis per eandem occurrere, summè conducit. Si enim vel attenuanda illius viscíditas, vel temperanda acrimonia, vel inertia corrigenda sit, utramque paginam implebit. Multò verò magis Hepatis indè vitia auferentur. Propterea depravatę ejusdem secretiones restituuntur, expeditisque meatibus Icterici sæpissimè convalescunt. Haud secùs reliquorum viscerum Obstructiones, etsi ab iis Scyrrhosi Tumores assurgere cęperint, delet ritè epota acidula. Hùc referendæ sunt insignes Hydropicorum curationes, quorum non paucos variè hoc morbi genere vexatos integræ saluti per eandem aquam restitutos, scio. Quamobrem uti fieri minùs non potest, quin hoc in casu plurimùm idem fons commendetur; ita plurimùm expediet noscere, undè orta ægritudo, & quousque provecta. Etenim ubi viscera apostemate, ulceribus, scyrrhisque jam penitus confirmatis corrupta fuerint, Lymphatica verò vascula disrupta, tunc uti conatus per acidulam incassum cedet, ita, auctis morbi viribus, medicamentum ipsum vitam ægrotantis ocyssimè finiet.

*Bilis, & Hepatis Vitia.*

*Hydrops.*

Affectionis Hypochondriacę curationem per hujus aquæ potum instituere, non sine summa ratione plurimi consueverunt. Et licèt non-

*Hypochond. affectio.*

nonnulli ab omnibus aquis mineralibus abſtinendum eſſe cenſeant in Hypochondriacis affectibus, uti Conſult. Centuria prima, Conſilio LXIII. magni olim nominis Practicus Ben. Sylvaticus præ reliquis profitetur; nihilominùs, & utiles ſummè acidulas ferè omnes, noſtris quoque temporibus, experimur; & magnis laudibus in hoc caſu exornatas ſcimus non à recentioribus modò, ſed & ab veteris ſcholæ ſectatoribus eximiis; inter quos Daniel Sennertus, Lib. primo Pract. 2. Cap. 17. & Lazarus Riverius, Libro 12. Cap. 5. eminent. Hinc mirum eſſe deſinit, cur & ad hunc fontem miſſi Hypochondriaci haud pauci fuerint, & ii plurimum indè utilitatis perceperint. Enimverò cum pars hujus aquæ ſpirituoſa mucilagineas ſordes primis viis, hiſque proximis viſceribus inhærentes, diſſolvat, atque abſtergat; Martis verò vena acerbos, atque acidos ſapores corrigat, ac ſimul Sylveſtres Sales, Tartarumque, uti placet Helmontio, hoſtem reſolutum deſtruat, continuò & dyſcraſiam viſcerum tolli, & coctiones omnes, ſecretioneſque humorum corrigi, ac propterea potiſſima Hypochondriacæ affectionis fundamenta ab imo convelli neceſſum eſt.

*Renum morbi.* Cæterùm vexantem Renum corpora acrimoniam infringi, effectricem Calculorum materiam expelli, nondum confirmata vaſorum Renibus adjectorum vitia tolli, crebris ex-

experimentis deprehendisse se, multi fatentur. Immò & calculos jam confectos, minores quidem excretos, majores autem imminutos adnotarunt ægri: quibus non modò, quo tempore potum hujus aquæ adhibebant, sed & sequentibus diebus urinæ turbidæ erant, & multo sedimento, arenulisque refertæ. Quod verò parvi pendere haud debemus, viscidam pituitam, & mucorem, quo Calculus involvitur, promptè attenuari, & divelli, hujusmodi excretiones in ruina argumento sunt. Qua de causa sicuti in posterum Calculo facilior exitus, ità si aliquandò contingat, multa pituitæ crassæ congerie Calculi imaginem referri (uti, adnotante Ab Heers, Spad. C. IX. in Urbe Namurco celebri Lithotomo Gratiano evenit, qui Calculo se premi ratus, secandam sibi vesicam curavit, nihilque præter tenacis pituitæ massam invenit) eadem per intervalla eliminatur. *Calculi.*

Hæc licèt veritatis fundamentis innixa sint, tamen multum negotii aliquibus facessere possunt, quæ doctissimus Helmontius adversus hanc sententiam proponit. Is enim, quamquam hujusmodi acidulas eluere urinæ regionem, & sale suo esurino obsistere, ne lotii Spiritus quidquam petrificet, apertè fateatur; tamen palliativam hanc calculi, curam appellat. Licèt enim, inquit, Calculi, A-„renæque expellantur, & quandiù aquæ fue-„rint ebibitæ, impediant non Calculi colle- *Helmont. objectio.*

„gia,

„gia, nihilominùs, intermiſſo per aliquod „tempus aquæ potu, eò quidem promptiùs „accreſcere feſtinat Calculus, quò uterus „ille alter Calculi parens, nitidior fuerit". Hinc notat, lotium faciliùs Calculum ad nitidam matulam, quàm ad oleo inunctam agglutinàre, & renes brutorum plurima axungia ob rem hanc ſcatere. Rurſus verò occaſionem inde arripit ad aliud remedium confugiendi, quo, ablata inclinatione, ut ait, petrifica, majores Calculi (minores enim facilè expelluntur) in ſuccum priſtinum retrograda concretionis analyſi redeant.

*Ejuſdē ſolutio.* De quo utcunque res ſe habeat, nam certè generationem Calculi ſi ſpectes, quod tanquam commentum Chymicum quidam exploſerant, veriſſimum aſſertum, atque demùm experimento confirmatum fuiſſe, Clariſſimus Boyleus teſtatur, in Tentaminibus Phyſiologicis, ac propterea in reliquis ad rem hanc ſpectantibus magna tanto viro fides habenda eſt; eò rei totiùs ſumma redit, ut dum quantum quidem in nobis eſt, hujuſmodi ægritudine vexatis per has aquas mederi ſtudemus, diligenter animadvertamus (nam data occaſione potiſſimam diſtinctionem afferemus pro Calculoſis, quibus præſcribuntur acidulæ) cujuſnam magnitudinis Calculi ſint. At propterea ſi ii majores fuerint, quàm ut per Ureterum ductus in Veſicam ire poſſint, certo certiùs eſt magno cum ægri periculo

tunc

tunc acidularum potum præſcribi. Nam excitato plurimùm paroxyſmo eò res deveniet, ut non anteà is remittatur, quàm vel lapis in pelvim redeat, vel maximum inde vitæ diſcrimen æger patiatur. Si verò deprehenſum fuerit ejus eſſe magnitudinis, ut valeat facilem ſibi viam ad inferiora munire; tunc, uti notat doctiſſimus Sydenham, in tract. de Mictu Sanguineo à Calculo Renibus impacto, nullum æquè efficax remedium ſuppetit cùm ad Calculorum præcavendum incrementum, tùm ad eoſdem è Renibus deturbandos, ac Ferrearum aquarum liberior potatio.

Quo quidem in caſu, idque ad citatum Helmontii locum ſpectat, ubi non datur unico ictu morbi radicem funditus exſcindere, juvat per ſingulas æſtates aquam eandem aliquandiù aſſumere. Unde ſequitur, ut niſi in univerſum Calculorum materies auferatur, ſaltem ipſo ferè in exortu Calculorum ſtamina per vices divellantur. Neque prolixæ curationis tædio delaſſari ægrotantem decet. Etenim cùm ita hominum omnium natura comparata ſit, ut in quam ægritudinem maximè proni ſunt, eadem, & poſt remedia quælibet, per intervalla, rursùs, atque iterùm divexentur; juvat morbi generi medicinam quamlibet ſæpiùs aptare, ac cùm, ut volumus non poſſumus, præſtat idem agere, ut quimus. Propterea tamen inficiari non auſim,

ſim, præclariſſima alia adverſus hunc morbum reperiri poſſe remedia. Quia tamen inſtituti noſtri eſt, hìc ea tantum comminiſci, quæ per hujus acidulæ potum haberi queunt; ideò non ſine ratione crediderim poſſe indè Calculoſis ingentem utilitatem accedere, quatenùs nempè, repetitis per aliquot annos hujus aquæ hauſtibus, cùm quidquid in altero Calculi parente utero aggeritur, antequam concreſcat penitùs, augeaturque nimium, deturbatur; tùm, dilatatis quaquaverſum ductibus, demùm facili negotio lapilli ipſi per ſe decidunt: potiſſimum ſi æger reliquo anni tempore mitiſſimum aliquod diureticum in uſum ducat. Ex quibus oriri intereà facilè poteſt, ut & memorata inclinatio petrifica poſt plures conatus penitùs auferatur.

*Meatus Urinarii vitia.* Porrò ignorandum non eſt, haud abſimili ratione Recobarii aquam incremento carnis in Urinario Meatu obſiſtere, Meatus ejuſdem Urinarii ulcuſcula detergere, atque exſiccare, Gallicamque Gonorrhæam recentem curare. *Gonorrhœa Gallica.* In qua tamen ſummoperè cavendum, ne, ubi confirmata jam ſit, aquæ ejuſdem potus itidem præſcribatur. Tunc enim hi effectus eveniunt, quos in univerſum hoc in caſu ab mineralibus aquis haberi, notat memoratus Sydenham; nempe Scroti Tumores, Carunculæ, atque hujus generis alia. *Gallico morbo infectis nocent acidulæ.* Pariter, quicunque ex Gallico morbo ſymptoma aliquod patiuntur, hujuſmodi potu arcendi pe-

penitus ſunt. Siquidem, ubi methodum hanc neglexeris, aut ferociùs ſævire ſymptomata quæque continget, aut Ægrum eorundem atrocitati imparem poſtremæ neceſſitati concedere. Hoc an verum ſit omni ex parte, Lęlii fontis aqua in nonnullis Lue Gallica infectis, atque indè enecatis, ſatis oſtendit. Cujus rei cauſa ex eo ferè petenda eſt, quòd vel reliquias morbi è corpore eliminandas vi adſtringente, &, uti citatus auctor inquit, plus ſatis ſanativa arctiùs hujuſmodi aquæ conſtringunt, & figunt; vel virulenti miaſmatis calcar quoddam in iiſdem latet; quo lentè conficiens labes novis veluti ſtimulis excitatur, atque indè, corpus maximis cruciatibus concutiens, brevi ad ultimos niſus perducitur.

Accenſendi ſunt demùm jam enumeratis & Hyſterici affectus; in quibus, ubi ſummè effætus ſanguis fuerit, eaque ſpirituum ataxia adſit, ut, quæ ab Pharmaciæ fonte deſumuntur, nequaquam proficiant; ad hujuſmodi aquarum potum juvat confugere; utpote ex quo pallidos colores virginum, menſium ſuppreſſiones, ac reliqua ſymptomata ſæpiſſimè auferri ſolent. Haud ſecùs, ob morboſæ materiei varietatem, & nimium menſtruorum fluxum aqua eadem cohibere dicitur, quòd verò magis eſt, ſterilitati mederi; quòd ſive uterinum fermentum torpens ab ea excitetur, ſive ductus omnes expędiantur, iique præſertim,

*Affectus Hyſterici*

*Sterilitati mederi creditur.*

tim,

tim, qui ad ovaria, eorundemque tubas spectant, atque exindè ova fiant prolifica. Quod an experientiæ respondeat, sedulò à Practicis animadvertendum erit. Scimus enim, quàm adversas hujusmodi eventibus virtutes Ferro medentes assignent. Hinc doctissimus Forestus Obs. Libro XVI. obser. XVII. imminuendo semini aquarum fabrorum ferrariorum juxta Aetium summè commendat. Linster verò in Exercitatione altera de Font. Med. Angliæ, Cap. 4. eos videtur reprehendere, quibus Stomoma ad Virginum Chlorosim curandam tam assiduo usui est. Rubigo enim ferri, ait idem, per Dioscori-
„ dem potu præstat, ne fęminæ concipiant;
„ at illam ferri vim ejus sali nascenti multò
„ magis inesse, credibile est, scilicet ratio-
„ ne petrificationis, qua fortè tenella virgi-
„ num ova indurescant, aut aliter vitien-
„ tur. Accedit, nec satis apparere, quomodò fęcundæ per has aquas fieri mulieres possint, cùm præstantissimorum virorum judicio sancitum fuerit, Vitrioli Spiritum fugiendum summè ab novis maritis esse, quoniam partibus genitalibus summoperè infestus sit. Hinc rem observatione dignam habet in Colleg. super Fabrum, doctissimus Langius de quodam homine, qui ex nimio Vitrioli Spiritus usu pro excitando appetitu ferè amiserit testiculos; iidemque adeò sensim, ac sensim fuerint imminuti, ut pilorum magnitudinem

*Quid animadvertendum sit in his casibus.*

nem

nem demùm vix æquarent. Id an æque officere mulieribus possit, & genituram earundem ulla ex parte labefactare, aliorum judicio relinquere visum est.

Cæterùm in Arthriticis affectibus quid hujusmodi aqua præstare valeat, anceps alicui videri poterit. Ut enim permultos Arthritide laborantes, acidularum ope, ut ex hoc fonte quoque habuimus, restitutos adnotarunt Practici; ita cùm in non paucis Arthritidis speciebus crimen omne in acidum summè efficax, summèque subtile sit conferendum, non ratio modò suadet suspectas ibi plerumque acidulas esse debere; sed & summoperè nocuas fuisse non rarò experimento cognitum, & confirmatum est. His de causis animadvertendum crediderim, hujusmodi Arthritidis incommoda, ab acido pertenui, an ab sale aliquo fixiore, præsertim verò ab acrimonia salis alkali bilis, ut ajunt, eveniant. Siquidem, quemadmodum tristes eventus acidularum ad priorem causam non commentitiè referendos ducimus; ita, ubi altera emineat, præ cæteris tamen acres humores in vitio sint, tutò ibi in usum duci acidulæ quin possint, nullatenus ambigo. Hinc passim apud gravissimos Medicinæ scriptores, & præsertim apud Theophilum Bonetum in Mercur. Compital. invenire est, per acidulas Vitriolo imbutas permultos diù ab Arthri-

*Qui Arthritici affectus per has aquas curentur.*

thritidis biliosæ insultibus immunes perstitisse.

*In senibus suspectæ.* Nihilominus tamen, si aut affectionis hujusce causa altas nimium radices egerit, aut Ægrotantes in senium vergant, aut Phlegmatico corporis habitu præditi sint, atque exindè vires ægrè se habeant; reformidandum est quàm maximè, ne ii medelæ loco plurimum indè detrimenti capiant. Proptereà Cl. Sydenham in memorato casu Mictus sanguinei à Calc. &c. - illud mihi compertissimum est, inquit, haud paucos,
,, quorum corpora hoc modo fracta admo-
,, dum, & quasi confecta fuerant, hisce
,, aquis interemptos diem suum obiisse.

*Regimen has aquas bibentium summè curari debet.* IV. Enumeratis, quas hic Fons sæpissimè tollit, Ægritudinibus, plures aliæ, quas hìc persequi visum non est, accensentur: immò, confirmato medicamenti usu, & gliscente de his aquis hominum opinione, numerum earundem in dies auctum iri, certò scio. Veruntamen, ut secundi hi effectus eveniant, solertissimè cavendum est, ne corpore haud satis valido, aut medicamentis præparato, ad has acidulas bibendas Æger mittatur. Proptereà animadvertendæ vires totius, tùm etiam partium; dein, pro varietate morbi, nocentium succorum suburram priùs educas, necesse est. Continuò ii meatus probè muniendi, per quos humorem ducere expediat. Demùm verò aptis in hanc

rem

rem medicamentis, si id res postulet, vires aquæ eliciendæ, ut promptior indè medela suppetat. Satis multa super hac re, studio alias acidulas describentium, literis prodita sunt. Inter quos tamen in Spadani Fontis descriptione Henricus ab Heers, Jo. Benedictus Gründel in sua Roitschocrene, Eberhardus Cockelius, Consilior. Decad. prima, consilio 7. aliisque, ac demùm Clarissimus D. Langius in dissertatione eadem, accuratissimè hanc provinciam obierunt.

*Julio, atque Augusto bibendæ acidulæ*

Anni tempora huic potationi apta ferventissima sunt; ac proindè Julio, atque Augusto potissimùm hujusmodi potus in usum ducitur. Quo tempore animadvertendum iis summoperè est, qui ægrotantibus præsunt, an cùm assumpturi aquas sunt, harum vires ullatenùs alterari contingat; quod omnibus ferè acidularum fontibus, sive ex aliqua variatione mineræ, sive ex aeris vitio, motuque telluris, sive ex vario, ut quidam autumant, aspectu syderum evenire aliquandò consuevit. Quæ incommoda ubi interciderint, tandiù prohiberi ab acidulæ potu ægrum juvabit, dùm prior aquæ temperies redeat. Cæterùm hìc locum non habere videtur illud Hippocratis, in Libro de Aer. Locis, & Aq. quòd nempè ad solstitia, majorumque exortus syderum, ut Arcturi, Canis, Plejadum magna medicamenta corporibus admovere non deceat. Nam adeò ve-

rum eſt, optatos ex acidulis eventus tunc plurimùm haberi, cùm ſummus eſt calor, ut ſi aliquandò contingat annum ferè totum, ut inquiunt, hyemare, juvet arte calidum aerem reddere, fovere ventriculum, atque alia hujuſmodi moliri, ne infeſtum aliquod ſymptoma ab hauſto humore proficiſcatur. Nec aut cęli æſtus, aut itineris aſperitas ægrotantem terreant. Quippè ſicuti ineptè aliis anni tempeſtatibus hoc medicamen præſcribitur; ita, niſi recens è fonte eductum humorem æger aſſumpſerit, ferè incaſſum labor concedet.

*In ipſo fonte potãda Acidula eſt.*

*In aliquibus prę-ſtat Ventriculum munire.*

Quoniam autem non deſunt, quorum Ventriculi ab aquæ frigore lædantur; præſtat iis tabellas appoſitè paratas præbere, vel ſaltem ſemina aliquot Carvi, Coriandrorum, Aniſi, ſimiliumque; quæ & ſaccharo obduci poterunt. Hinc juvat & alia per occaſiones inſtituere, atque immutare, prout tolerantia corporis, acidæque ipſius effectus indicabunt. Decet propterea medentem aſſiduè adeſſe, cùm ut ſymptomatibus ſingulis extemplo occurrere, tùm ut optatum ab aqua eadem effectum in dies magis elicere queat.

*Dierum numerus*

Porrò ad quot dierum numerum potum hunc producere conveniat, à morbi genere, atque habitu ægri colligendum eſt. Ut plurimùm tamen intra quatuordecim, vel ſexdecim dies medentes ſubſiſtunt. Qua verò

die

die inchoanda purgatio, potio, puta ex manna, præcedat; duabus dein transactis horis, aqua potanda. Id postremo quoque die agere expedit, atque intereà corpus adversus externa quælibet diligentissimè munire. Cæteris diebus, sordibus excretis, una, vel altera post solem ortum hora, aqua potatur, ut per urinarias vias excedat; quod etiam guttis aliquot Spiritus Vitrioli qui adjuvare consueverint, non desunt. Juvat præterea & corpus leniter exercere, ad aquam faciliùs eliciendam; qua demissa penitùs, tutò æger prandeat.

Quoad aquæ mensuram varia à Practicis in medium afferuntur. Aliqui enim auctoritati Hippocratis innixi, in Libro de Veteri Medicina, numero 16. dicentis: „modum „autem, neque pondus, neque numerum „aliquem, ad quem referas, cognosces; cer„titudinem enim exactam non reperies aliam, „quàm corporis sensum; - tantum aquæ sumendum esse ab ægris etiam primo die contendunt, quantum sine noxa ferre ventriculus valet. Alii è contra unciarum aliquot numerum excedere ægros non debere, tuentur: inter quos principe loco recensetur subtilissimus Joannes de Lamzvverde, qui tùm Acidularum, tùm Thermarum potum non ad„mittit ultra sex, vel septem uncias. Ait „enim ideò Thermarum, atque Acidula„rum pocula numero, & mensura immi-

*Mensura poculorum.*

*Lamzvverd. opinio.*

„ nuenda esse, ut diutiùs in intestinis mo-
„ rentur; in quibus convenientiores illarum
„ particulæ expressæ, & ex iis sensim vias
„ lacteas ingressæ, posteà vivifico cordis,
„ pulmonumque motu, ejusdem massæ com-
„ modiùs intexantur; ut deindè à corde,
„ quod sanitatis temonem dirigit, observa-
„ to naturæ ordine, ad noxias sanguinis
„ particulas emendandas, vel è visceribus
„ tollendas propellantur.

Hæc tamen utcunque se habeant, quoniam nec ab ea aquæ quantitate, quam cęco impetu valet ventriculus excipere, tuta omnia polliceri ægris valemus; nec à paucis ejusdem unciis id oriri cernimus, quod à pleniore instituto potu: ideò juvabit juxta expertissimorum judicium intra modicæ quantitatis limites subsistere, ac propterea à quatuor ferè libris ducto exordio, ad duodecim ascendere, ac deindè per gradus priorem ad quantitatem reverti. Quam nihilominus mensuram juxta Ægri habitum an immutare expediat, cuncta sedulò animadvertens medicus facilè noscet. Hinc quidam ulteriùs provecti ad sexdecim usque pervenere; nec defuit, qui ut palato morem gereret, viginti quatuor aquæ libras intrepidè assumpserit, demiseritque tutò. Sed hæc rara experimenta sunt, nec exposita ad imitandum.

*A quatuor libris ad duodecim ascẽdi solet.*

Cæterùm curandum præ reliquis, ut eadem, qua haustus est, humor mensura de-

*Quandò intermittendus*

ce-

cedat. Quod ubi prosperè non evenerit, non modò intermittendus est potus, sed ingruentibus ex retenta aqua symptomatibus obviam eundum. Quoniam verò aliquandò contingit, ut, aqua licèt excreta, incommoda quædam ægris superveniant; tunc expendendum sedulò, utrum potum intercipere expediat, an iisdem occurrendo, ægrum nihilominus aquis committere. Item, quoniam menstruæ purgationes sæpè mulieribus acidulas potantibus supervenire queunt, illud animadverti solet, an secundum naturæ institutum eædem succedant. Quippe, si id evenerit, plerique intermittendam curationem non esse, tuentur. E contra verò si fluxum hunc turbari aliquatenus intelligas, nempè vel augeri nimium, vel minui, vel alia quavis ratione eundem corpori officere; tunc intutò acidulæ potum non avertes; quippe non modo indicatur, hunc naturæ inopportunum esse, sed omnia alia posthabita cogitatione, menstruam purgationem esse corrigendam. Crediderim tamen per compendia, satius esse de industria catameniorum tempora evitare, ubi id præstari possit; nam sæpè plura incommoda per id tempus mulieribus superveniunt.

*In Menstruis purgationibus quid agendum.*

Quæ verò ad diætam spectant, facilè servare est, si legitimus usus adfuerit sex rerum non naturalium; inter quas, quæ ad cibum, & potum spectant, curandæ ceteris diligen-

*Dieta.*

tiùs ſunt. Has autem, utpote ab quampluribus ſcriptoribus per genera deſcriptas, ne fruſtrà perſequar, ſatis fuerit memoraſſe, uti in omnibus mediocritatem quandam ſervandam eſſe, ita quò ad cibum illud Plinii „ cordi eſſe debere, nempe hominis cibos „ utiliſſimos ſimplices (atque inter hos ii accuratè diligendi ſunt, qui cùm coqui facilè, tùm determinatæ ægritudini adverſari „ plurimùm poſſunt) eſſe: cæterùm acervationem ciborum peſtiferam, condimenta „ pernicioſa.

*Vino acidulæ haud miſcendę.* Si autem quæratur, an conducat acidulam hanc vino immiſcere; ſcitu dignum eſt variis vini ſpeciebus, quibus hujuſmodi aqua infunditur, varias colorum, & aliquandò ſaporum etiam mutationes ſupervenire. Et quoniam in pleriſque etiam fermentationem quandam ex hac miſcella oriri cernimus; ideò ſatius eſſe videri vino acidulas non admiſcere, ne vini ipſius textura, effectuſque turbentur. Scio nonnullos in ea eſſe ſententia, ut credant, ubi calidi temperamenti aperta indicia adſint, non modò licere, ſed & expedire aliquatenùs vinum acidulis alteratum præſcribere. Veruntamen crebris exemplis edocemur, hanc methodum periculo non vacare; & quoniam, uti inter noſtrates, præcipuè Cl. Jo. Fort. monet, eadem & experimento, & auctoritati veterum medicinæ patrum plerumque adverſatur; ideò juvabit non

non naturalis, non medicamentosi potus indolem promiscuè subvertere, atque, uti simplicem acidulam medicamenti loco ægris præscribimus, ita laudabilis notæ vinum simplex inter epulas imperare.

*Externus hujus aquę usus.*

Quod reliquum, pro externis ægritudinibus, qui Lęlii Fontis aqua utantur, non desunt. Propterea eadem pro Lichenibus, Impetiginibus, Scabie, aliisque vel Lepræ ipsi affinibus affectibus, ubi tamen internæ expiationes præcesserint, pellendis adhibetur. Hinc celeberrimus Bonetus in Merc. Comp. per acidulas ferratas, non semel Impetiginem gravem, & ferè leprosam, aliis frustrà adhibitis, se curavisse testatur. Immò memini, ab ingenuo viro, qui Praxim medicam Valdanei exercet, audivisse me, cancerosum quoddam ulcus, post consueta præsidia, hujus fontis lavacro, uti & quamplurima alia cutis vitia, curata penitùs fuisse. Brutis quoque cùm lavacrum, tùm potum profuisse, incolæ referunt: atque inter reliqua rei hujus exempla, duos equos, spirandi difficultate (insigne equorum malum, & ferè semper desperatæ salutis est) laborantes, incolumitati restitutos, prædicant.

*De hujus Acidulæ usu judicium.*

Hæc Recobarii Fontis lineamenta: super cujus indole quid verè sentiendum sit, perloqui haud expeditum. Quippè, uti fieri in rebus hujusmodi solet, hinc auctoritate in-

si-

ſignium Medicorum, acidulam hanc ſummis laudibus extollentium, crebriſque, uti memoravimus, rationibus, & mirabilium curationum eventibus, indè adverſis aliorum ſententiis, & præſertim non unius exitus triſtiſſima imagine conflictamur. Quæ nihilominùs utcunque ſe habeant, quoniam apertum eſt, non modo eum ab noxiorum mineralium labe immunem prorſus eſſe, ſed & ſaluberrimis quibuſque perſimilem; crediderim optatos indè effectus aliquandò non exoriri, quòd levibus ſæpè de cauſis, atque omnibus antea, uti decet, non exploratis, ad acidulam hanc aſſumendam ægri mittuntur. Dicere enim auſim, vix ad ullum aliud medicaminis genus exhibendum tanta circumſpectione, atque tàm accurata conſideratione opus eſſe, quantam in præſcribendis acidulis adhibeant Practici neceſſum eſt. Et tamen ſcimus, inveniri non paucos, qui indè intricatarum ægritudinum, quarum cauſas nondum fortaſsè noverunt, medelam quærunt; quique, eventu ſecundum vota non ſuccedente, culpam omnem in acidulam rejiciunt, quaſi hæc inepta comparandæ incolumitati ſit, non ii eandem inconſultò, temerèque prẹſcripſerint.

Nihilominùs & illud afferre in medium viſum eſt, ut ſcilicet quotieſcunque purgatio viſcerum, & lotio interior, quod præcipuum aquarum medicatarum munus cenſetur, inſti-

stituenda est; ad mitissimas alias aquas mittantur ægri; uti sunt apud nos Thermales elegantissimæ montis Orthoni, Beatæ Virginis dictæ, quæ nescio quo fato, etsi mira præstent, priorem existimationem apud multos retinere non videntur. Stultum quippè, quod facili, tutoque itinere assequaris, per aspera, atque intuta tentare. Ubi verò quid amplius, & cui satis mitis humor non sit, exposcitur; habeant alia mala remedia sibi accommodatiora; nec enim pervicacem morbum, nisi per dura, & aspera coerceas. Cæterùm de temporum nostrorum calamitate conqueri quemquam, fas non est. Ea quippè medentium calamitas semper fuit, ut de maximorum remediorum usu adversis omninò sententiis disceptaretur.

*Aquæ B. Virgin. Montis Orthoni.*

*Laus Deo, Bq; Virg. Mariæ.*

FINIS.

IN-

# INDEX.

A



mu-

Effe-

E



F



in

Ignis

Mo-

Ther-

V

FINIS.

# NOI REFFORMATORI
## dello Studio di PADOVA.

HAvendo veduto per la fede di revisione, & approbatione del P. F. Ambrosio Lisotti Inquisitore nel Libro intitolato *Thermarum Patavinarum Examen, Scriptore Jo: Gratiano*, non esservi cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza à Zuanne Manfrè, che possi essere stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie nelle publiche librarie di Venetia, e di Padova.

Data 19. Novembre 1700.

( *Alvise da Mosto Proc. Refform.*
(
( *Girolamo Venier K. Proc. Refform.*

*Agostino Gadaldini Segret.*

ER-

## ERRATA SIC CORRIGE.

| *Pagina.* | | | *Linea.* |
|---|---|---|---|
| uber. | 5 | ubere. | 15 |
| reperivut. | 29 | reperiunt. | 17 |
| confonum. | 32 | conſonum. | 16 |
| conjectari. | 75 | conjectare. | 19 |
| confingantur. | 97 | confringantur. | 27 |
| quondam. | 108 | quandam. | 24 |
| ubi. | 111 | ubique. | 29 |
| Junoni. | 116 | Mamonæ. | 28 |
| Pulmorum. | 123 | Pulmonum. | 10 |
| ſæpiùs. | 125 | ſegniùs. | 16 |
| Syvuius. | 125 | Sylvius. | 24 |
| volabilitatum. | 125 | volatilizatum. | 29 |
| abſtructiones. | 128 | obſtructiones. | 3 |
| ſenſo. | 158 | ſenſu. | 8 |
| Aſpargum. | 164 | Aſparagum. | 4 |
| exquirem. | 184 | exquirerem. | 5 |
| con- confugerunt. | 202 | confugerunt. | 14 |
| ruina. | 219 | urina. | 11 |